DE
REI SCENICAE
APUD ROMANOS ORIGINE

DISSERTATIO

QUAM

AD CONSEQUENDOS AB ILLUSTRI UNIVERSITATIS BEROLINENSIS PHILOSOPHORUM ORDINE SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

SCRIPSIT

FRIDERICUS STIEVE
MONASTERIENSIS

SEMINARII REGII PHILOLOGICI BEROLINENSIS NUPER SOCIUS

BEROLINI

TYPIS GODOFR. CAROL. NAUCKII.

MDCCCXXVIII.

H. L. NADERMANNO

GYMNASII MONASTERIENSIS DIRECTORI

S. P.

Rem scenicam antiquorum populorum si quis eo consilio illustrandam sibi sumserit, ut praesentem studii fructum percipiat, artisque praecepta quaestionibus suis collecta recentioribus fabularum auctoribus tradat, ille pro instituti sui ratione multo aptius Graecorum poetarum fabulas diligenter considerandas sibi eliget, quam Romanorum, quippe qui in hoc quoque poesis genere Graecis arte inferiores reperiantur. Sed qui singulas artis regulas, quibus antiqui usi sint, nostris poetis vix adhiberi posse intelligit, — nam

Diversos diversa iuvant, non omnibus annis
— Omnia conveniunt;

quique hominum ingenio magis dignum existimat cognoscere, quod fuerit antiquorum hominum ingenium; huic etiam Romanae fabulae non contemnendae videbuntur, quum et illae ipsae et ratio,

qua bellicosus populus artem scenicam a Graecis accepit, acceptamque excoluit, plurimum faciant ad ingenii Romanorum veram imaginem exprimendam. Quapropter hanc quoque antiquitatis pervestigationem diu neglectam nostra aetate satis gravem viri docti habuerunt, vitasque veterum poetarum, qui primi Romae fabulas docuerint, scribere, eorum fragmenta denuo colligere, quo differant singula fabularum genera explicare, quid in tragoediis et comoediis componendis Romani sua Musa effecerint, exponere coeperunt. De origine autem ludorum scenicorum nemo, quod equidem sciam, ne testimonia quidem veterum omnia congessit. Plures, qui sive in annotationibus ad veterum scriptorum editiones, sive in quaestionibus de Romanorum poetis ad hunc locum deferebantur, ne in rebus subsecivis extra provinciam evagari viderentur, satis habebant laudasse quae ab Horatio (Epp. II. 1.) et Livio (VII. 2.) de priscis ludis Romanis tradita leguntur. Quum vero hanc quaestionem latius patere iudicarem, quam ut paucis absolvi posset, et multa quae apud veteres auctores de ludorum scenicorum origine passim narrantur, collectis demum omnibus testimoniis intelligi posse viderem, facturum me operae pretium existi-

mavi, si hanc antiquitatis partem singulari libro uberius et accuratius explicandam mihi sumserim. Cui argumento ut satisfacerem, tria potissimum consideranda mihi videbantur: primum, quibus ludis usi sint prisci Romani, antequam Etruscorum arte accepta novum delectationis genus appeterent; quumque Lucretii, Horatii aliorumque sententiis, quibus natura illorum ludorum breviter adumbratur, rem non satis expediri putarem, addidi locum de diebus festis, quibus ioca scenica excerceri solebant, ut singulis institutis cognitis, omnium ratio rectius perspiceretur. Secundo capite comprehenduntur initia artis, quae ab Etruscis saltatoribus Romae instituta, deinde ab iuvenibus Romanis excepta, etiam tum servabantur, quum iam fabulae ad Graecorum morem compositae Romae spectarentur; et hic quidem de fabulis Atellanis dicendum erat. Tertio capite disserui de Livio Andronico, cui Graecae artis scenicae originem Graecasque fabulas Romani debent.

Si pro voluntate, Vir Praestantissime, res mihi cessisset, neque festinanti eadem conditione utendum fuisset, qua musico illi, cui non semper

chorda sonum reddit, quem vult manus et mens,
Posentique gravem persaepe remittit acutum,

aliquanto dignius pietatis erga te documentum offerre tibi possem. Nunc res aliter cecidit: nam cunctantem me et dubitantem, quomodo singula optime enarrentur, munus publicum in Gymnasio Arnsbergensi susceptum et iamiam administrandum continuo impellit, ut ad finem properem. Quare si forte quaedam parum enucleate et eleganter exposita tibi videbuntur, oratum te velim, primum, ut hoc incommodum non mihi sed temporibus meis tribuas, tum ut donum hoc tibi, qui primus veterum ingenia admirari eisque operam navare me docuisti, inscriptum, non tam iudices ex suo pretio, quam eximia mea in te voluntate et amore perpetuo. Vale et fave!

Scripsi Berolini,
mense Decembri MDCCCXXVIII.

Fr. Stieve.

DE

REI SCENICAE

APUD ROMANOS ORIGINE.

Cap. I.

Artis cuiusdam apud veteres Graecos aut Romanos originem investigaturo maxima plerumque inde nascitur difficultas, quod, quae probari possunt certis auctorum testimoniis, artem magna ex parte iam perfectam et quasi lato profundoque iam fluentem alveo nobis monstrant, ita ut non appareat, unde provenerint rivuli varii, qui coniuncti undas praebent fluvio. Hos autem rivulos ad fontes usque persequatur necesse est, qui veram et perfectam oculis proponere studet artis imaginem, ex qua colligatur quale fuerit veterum ingenium, et quomodo ad illud quod videmus perfectionis fastigium pervenerint. Descendendum itaque est trans verae historiae indicia in fabularum regiones, quae densa nebula involvunt artium initia, et cautum quoque pedem saepe fallunt. Omnes enim artes ingenuae tam antiquae sunt quam deorum cultus, ac reverentia erga numen divinum et mater et nutrix earum vere praedicatur. „Quum primum, ait Tranquillus apud Isidorum VII. 7., homines exuta feritate rationem vitae habere coepissent, seque ac deos suos nosse, cultum modicum et sermonem necessarium commenti sibi, utriusque magnificentiam ad religionem deorum suorum excogitaverunt. Igitur ut templa illis domibus pulcriora faciebant, ita eloquio etiam quasi augustiore honorandos putaverunt, laudesque eorum et verbis illustrioribus et iucundioribus numeris extulerunt." Quod hic Tranquillus de arte loquendi et car-

minibus deos laudandi dicit, eodem iure de ceteris artibus contenditur: ex quo deum esse summum ingenium homines sentiebant, ingenii operibus eum venerabantur.

Praecipue ex deorum cultu originem ducit ars scenica, et haec intimo vinculo cum religione coniuncta per longum annorum spatium, quum ceterae artes paulatim fontis oblitae novas sibi quaererent exercitationis vias, fidelis perseveravit festorum cultrix dierum. Quam ob causam etiam evidentius de hac quam de ceteris monstrari posse confido, eam auctam et excultam esse eodem successu, quo religio ipsa et cogitationes de numine divino, amplificato hominum intellectu, incrementum caperent, et ad altiorem tollerentur gradum. Hunc autem locum gratissimum, quo evincitur, artem scenicam apud eos, qui soli eius auctores vere habentur, Graecos dico, non temere ortam et auctam esse, sed crevisse eadem lege et ratione, qua rerum divinarum cognitio et philosophiae studium, silentio praetermittendum censeo, utpote qui situs sit extra provinciam meam. De Romanis idem vix dici potest, quum hanc artem non crearent sibi ex animi sui natura, sed perfectam a Graecis acciperent. Prima quidem initia dramatis, quoad de iis iudicare possumus, apud utrumque populum fere eadem aut saltem similia sunt; quos enim apud Romanos invenimus ludos agricolarum, eosdem Graeciae antiquos incolas in Bacchi honorem instituisse pro certo affirmari potest; at vero quod post illas nugas Graeci, genium suum sequentes, appetiverunt, ut ad eximiam artem progrederentur, idem Romanis non contigit, qui rudia initia parum modo immutata etiam tum tenebant,

quum Graeci, perfecto suo opere, iam nihil addere poterant. Graecis Melpomene Arionem, Epigenem, Thespin et Phrynichum dedit dramatum auctores (cfr. Boeckh. in Oeconomia civitatis Atheniensium tom. II. p. 361, sqq. et Fr. Thiersch. ad Pind. I. p. 151, sqq.), qui chorum docebant dithyrambo primum Bacchi dein Adrasti aliorumque deorum et heroum facta et virtutes celebrare, donec postea addito histrione drama prodibat; Romanorum consuetudinem Musae diu vitaverunt, et ante Livium Andronicum nemo populum Romanum altiora in re dramatica petere incitavit.

Quicunque populus non quaerit quod est, sed quod prodest, nunquam ex se artes ingenuas procreabit. Haec autem est conditio Romanorum, et hac mente ad omnes artes accesserunt, ut contemnerent, unde nec sibi nec rei publicae emolumentum praesens sperarent, quum Graeci quod bonum et pulcrum existimarent, nullam aliam ob causam summa omnium virium contentione dignum haberent. „In summo apud illos, confitetur Cicero Tuscul. I. 2. 5., honore geometria fuit: itaque nihil mathematicis illustrius. At nos metiendi ratiocinandique utilitate huius artis terminavimus modum." Senes Romanorum expertia frugis damnabant, teste Horatio ad Pis. 341., et pueri ad lucrum animadvertere docebantur:

Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Musa loqui, praeter laudem nullius avaris.
Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere. —

Graeci excellentes in quavis arte viros honore donabant; Romani ex urbe eiiciebant philosophos et rhetores; et Augusti adeo aetate conqueritur Ovidius:

Nunc hederae sine honore iacent: operataque doctis
Cura vigil Musis nomen inertis habet.

Graeci theatra visitabant, et Olympiam profecti nobilissimos viros et ipsos reges splendidis quadrigis certantes spectabant:

Romae dulce diu fuit et sollemne reclusa
Mane domo vigilare, clienti promere iura,
Cautos hominibus rectis expendere nummos,
Maiores audire, minori dicere per quae
Crescere res posset, minui damnosa libido.

Ad quem igitur finem in arte scenica sine Graecis praeceptoribus Romani, suum ingenium secuti, deferri potuerint, iam divinare licet, praesertim quum illis egregiis auctoribus usos hoc solum perfecisse eos sciamus, ut aequius feramus invidiam temporum, quae Graeca exemplaria nobis eripuit. Nam quod de Romanorum litteris in universum dicit Manso in Additamentis Sulzerianis tom. I. part. I. init., id praecipue de arte dramatica monendum est: ne quis obliviscatur, vespertinum se videre coeli ruborem, quo tum homines oblectabantur, quum Graeci solis splendor evanuerat.

Nonnulli qui de rebus Romanis scripserunt, hunc populum propter insitam gravitatem ludicra Graecorum sprevisse contendunt, eumque artem scenicam tum demum tolerasse affirmant, quum iam ipse, morum simplicitate amissa, oblitus esset, digniora esse appetenda. Ludi autem illi, de quibus disputamus, non inventi sunt, ut voluptate afficerent sensus, et chorus Graecorum antiquus non ludicras nugas canebat, sed argumenta dignitate plena, a gravitate Romanorum certe non discrepantia. Aeschylus, Sophocles, Eu-

ripides non conscripserunt fabulas, ut rebus futilibus proponendis otium tererent Atheniensium, ridentesque domum dimitterent spectatores, sed ut summam docerent veritatem: aeternam esse deorum voluntatem, cui frustra repugnarent singulorum conatus. Heroes in gravissimis vitae momentis inducunt reluctantes contra hanc voluntatem, et intereuntes, quod singuli existunt; sed morientes singuli pectoris servant virtutem, et invicta floret hominum libertas. E victoria voluntatis divinae et singulorum libertatis reconciliatio tandem prodit suprema; qua spectata Graeci firmo animo boni et fortes theatra relinquebant. Et ne comoediae quidem gravitate omnino carebant; nam praeter multa sapienter dicta chorique cantum tragoediis saepe non indignum, moralis quaedam cogitatio in fabulae argumento eas coercebat, quominus effunderentur in scurrilia et nimis obscoena. Quis igitur alienos fuisse ab ingenio Romanorum severo iudicabit hos ludos, praesertim quum artem scenicam intimo vinculo coniunctam cernamus cum deorum cultu, ad quem Romani nimia superstitione quodcunque adhibebant, quo deos placatum iri opinabantur. Deinde, quod ad sententiam illam infringendam maxime valet, initia horum ludorum revera apud Romanos reperiuntur; quo fit, ut hoc solum praedicari possit, Romanos haec initia non excoluisse, tum propter ingenii illud *πραγματικόν*, tum propter morum feritatem, deficiente quoque benigna naturae vena.

Quum autem inveniri revera apud Romanos instituta quaedam dixi, ex quibus nasci potuerit ars scenica, iam provinciae meae fines ingressus sum, et accingendum est, ut hanc primam occupationem mu-

niam. Scriptores antiqui uno ore tradunt, priscos Italos coluisse Bacchum et Cererem aliosque deos quorum benignitati agrorum dona deberi putarent. Itaque et ii, qui Romae conditores feruntur primique urbis incolae haec numina venerabantur, precantes:

Neu seges eludat messem fallacibus herbis,
Neu timeat celeres tardior agna lupos [1]),

et post exactos anni labores conditis in horreum frugibus dies festos et sacrificia sollemnia instituebant,

— ut primas Cereri dare cultor aristas
Posset, et intacto Bromium perfundere vino [2]).

Inter sacrificia epulis vacabant ludisque, et curis solitis liberati genio indulgebant, et vino pleni dictis alter alterum lacessentes et scommatis scommata remunerantes risum inter se movebant. Mox admiscebantur saltatio et concentus plurium, quoniam inculti homines compescere in se nequeunt animi motus, sed laeti inter convivia gaudium canendo et saltando produnt; *τὰ γάρ τ' ἀναθήματα δαιτός* [3]). His ludis continentur initia omnis poesis, quam *ἐκ τῶν αὐτοσχεδιασμάτων* hominum priscorum ortam esse dicit Aristoteles Poet. 4, praecipue autem artis scenicae origo, quam de nullo alio fonte derivandam esse censet Maxim. Tyr. Serm. XXI [4]). Quomodo dies festos celebraverint antiqui Romani eleganter describit Tibullus II. 1, cuius ex elegia locum huc maxime spectantem affero:

---

[1]) Tibullus II. 1, 19.
[2]) Tit. Cal. Sic. Eclog. 4.
[3]) Hom. Od. I. 152.
[4]) Numerum citavi secundum vulgarem distributionem Sermonum, in Davisii editione exhibetur Diss. XXXVII. 4.

Agricola assiduo primum satiatus aratro
Cantavit certo rustica verba pede:
Et satur arenti primum est modulatus avena
Carmen, ut ornatos diceret ante deos.
Agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti
Primus inexperta duxit ab arte choros.

Addo huic loco praeclaros Horatii versus ex lib. II. epist. 1. inde a v. 139, quibus idem agricolarum Romanorum mos probatur:

Agricolae prisci, fortes parvoque beati,
Condita post frumenta levantes tempore festo
Corpus et ipsum animum spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum, pueris et coniuge fida
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,
Floribus et vino Genium memorem brevis aevi.
Fescennina per hunc inventa licentia morem,
Versibus alternis opprobria rustica fudit.

Conferendus denique est Lucret. V. 1378, sqq., ubi de origine cantus disserens, etiam nostrorum ludorum mentionem facit, vv. 1396 - 1402:

Tum ioca, tum sermo, tum dulces esse cachinni
Consuerant: agrestis enim tum Musa vigebat.
Tum caput atque humeros plexis redimire coronis
Floribus et foliis lascivia laeta monebat:
Atque extra numerum procedere membra moventeis
Duriter, et duro terram pede pellere matrem:
Unde oriebantur risus dulcesque cachinni.

Quibus locis allatis, et aliis quibusdam quos apponere supersedeo, quamquam bene intelligo, poeticam potius nobis praeberi vitae rusticae descriptionem, quam verae historiae sinceram narrationem, tamen extra omnem dubitationis aleam ponitur, ludicra eiusmodi,

quae contineant artis dramaticae initia, floruisse apud priscos Romanos. Nisi egregie fallor, adeo contendere licet hos rusticos ludos Romae frequentiores et maiore in honore fuisse quam in Graecia.

Equidem non affirmaverim antiquos Graecos hos ludos non instituisse, neque facile in Fr. Schlegelii partes duci patiar, qui in libro de epica poesi Graecorum, Oper. tom. III. p. 73, sqq. solis Romanis illa initia tribuenda esse censet. Dicit enim apud Graecos primis temporibus nusquam inveniri eos lusus propterea quod Homeri aetate agricolae principum servitute oppressi animum inducere non potuerint in serenas euiusmodi delectationes carminum, non epici argumenti, sed desumpti ex agrestibus rebus. In Italia haec a primis temporibus in usu fuisse, in Graecia autem sero demum nata esse apud liberos agricolas in Attica, Peloponneso et Sicilia, diversa inter se et abhorrentia ab Italica poesi, incunabulis artis dramaticae. Quae si vera essent, certe non negligendum hic reperiremus momentum in Italicis rebus cognoscendis, et quae viri docti de dramatis apud Graecos origine recte animadverterunt, magnam partem conciderent. Non ignotas autem fuisse illas exercitationes agricolis primis in Graecia vel ex eo coniici potest, quod naturam ipsam earum inventricem vidimus, quae vim suam exercebat eodem modo in Graecis atque Italis. Quapropter, etiamsi nulla auctorum veterum fide interposita comprobari posset, tamen illa cantica Graecis vindicarem; cavendum enim est, ne ex auctorum silentio de aliqua re concludamus, illam prorsus non extitisse. At non omnino destituti sumus argumentis e Graecis scriptoribus petitis, quae acriter indagantem ad vesti-

gia saltem ludorum agrestium ducunt. Huc trahi possunt quae de pompis antiquis per pagos institutis traduntur. Deinde sententiam meam probant carmina bucolica, quae ex istis ludis sine dubitatione orta, aptissimae nobis sunt imagines (εἰδύλλια) tum vitae rusticae, tum certaminum atque delectationum, quibus pastores prisci festos dies agebant. Haec autem cantica pastorum non per Siciliam solum, sed etiam per totam Graeciam vulgata fuisse, statuendum esse iudico, idemque censet Naekius in proemio Ind. Praelect. in Acad. Rhen. Boruss. habendarum a. 1828, cum quo comparari potest O. Mueller. in Hist. III. p. 345, sqq. qui hanc rem copiose exposuit [1]). Fescennini cuiusdam lusus reliquias invenimus apud Athenienses, qui in secunda Anthesteriorum die curribus vecti obvios deridebant et conviciis vexabant, cuius usus testimonia collegit Meursius in Graecia feriata p. 29. Notandum autem, etiam in hoc festo, aeque atque in Saturnalibus, quasi in memoriam veteris agriculturae maiorem licentiam servis concessam esse. Cfr. Meurs. ibid. p. 26. Eleusinia Atheniensium, quae cum religione

---

[1]). Quam vim in Idyllia, et praecipue in Theocriti poesin habuerint Sophronis Mimi, diiudicare non ausim; magnam autem fuisse post Valcken. Diss. in argumentum Adon. nemo negabit. Theocritus in Adoniazusis magis quam in ceteris imitatus esse videtur Sophronem, quod certiora saltem grammaticorum testimonia probant, sed in aliis quoque carminibus, quae non sunt ὅλως διηγηματικά, multa certe Mimographi inveniremus expressa, si fortuna mitiore animo eius scripta servasset. Si autem cui minus probatum videtur, Idyllia in discrimen vocare, sint mihi testimonio antiquorum Graecorum ludorum Sophronis Mimi, et res ipsa non mutatur. Ad ingenium Mimorum Sophronis cognoscendum non parum facit locus Lydi de Mag. Rom. I. 41, quem Valckenarius afferre non poterat.

multa ex antiquo cultu servabant, non vacasse dicteriis et illis „opprobriis rusticis," docuit idem in libro de Eleusiniis c. 27. p. 83. Ad haec adde apertum locum Aristotelis supra laudatum et Maximi Tyrii testimonium, quo Doricis civitatibus antiquis cantus tribuitur, quem apud greges exercuerint; Athenienses idem narrare pergit non sero demum, sed ante omnem poesin choros habuisse agricolarum: *Ἀθηναίοις δὲ ἡ μὲν παλαιὰ Μοῦσα χοροὶ παίδων ἦσαν καὶ ἀνδρῶν, γῆς ἐργάται, κατὰ δήμους ἱστάμενοι, ἄρτι ἀμητοῦ καὶ ἀρότου κεκονιμένοι, ᾄσματα ᾄδοντες αὐτοσχέδια. κ. τ. λ.* Hanc narrationem de ludis primorum Graeciae incolarum vulgatissimam fuisse coniici potest ex Prometheo sive Caucaso Luciani, ex quo etiam colligitur quales illi ludi fuerint: Prometheum inducit loquentem: *ἢν ἀφέλῃ τις τῶν συμποσίων τὰς κομψείας ταύτας, ἀπάτην καὶ σκώμματα, καὶ τὸ διασιλλαίνειν καὶ ἐπιγελᾶν, τὸ καταλειπόμενόν ἐστι μέθη καὶ κόρος καὶ σιωπή, σκυθρωπὰ καὶ ἀτερπῆ πράγματα, καὶ ἥκιστα συμποσίῳ πρέποντα.* Romani scriptores ipsi non dubitasse videntur, quin idem ludorum mos in Graecia atque in Italia viguerit, et Virgilius Georg. II. 382. Atheniensium agricolarum delectationes ita describens:

Praemiaque ingeniis pagos et compita circum
Thesidae posuere; atque inter pocula laeti
Mollibus in pratis unctos saliere per utres,

paulo post cum hisce componit Italorum ludos. Denique sententiam meam defendunt quae O. Mueller l. l. p. 347. de Phallophoriis Atheniensium et de aliis Graecorum sollemnitatibus disseruit.

Quum autem initia rei scenicae apud Graecos comparare coepi cum iis quae Romae in usu erant, ope-

rae pretium est hac via pergere et indagare, quae causae externae praeter utriusque populi ingenium Romanos impediverint, quominus ad artem progrederentur, et quae Graecos ad summum claritudinis cacumen perduxerint, ut ex hac comparatione vera conditio ludorum Romanorum conspiciatur. Versibus iocari agricolae prisci in Graecia maximam partem desivisse videntur, quum peregrina gens terram invasit eamque occupavit. Veteres tum plerumque incolae oppressi a victoribus agrum colere pergebant, sed inferiores et nonnunquam servorum loco habebantur a dominis, qui ut subditos ipsos ita et agriculturam despiciebant. Cfr. Manso. in institutis et historia Spartanorum, et Mueller. l. l. pluribus locis. Itaque non reges Homerici, quorum potentia nec late patuis senec dura fuisse videtur, sed omnes ex superiore gente opprimebant victos, et ipsis excutiebant animum et voluptatem carminibus ludendi. Agri cultores vero ex hoc tempore nullos dies festos celebrasse, et carminum suorum omnino oblitos esse, quominus credam obstat Accii fragmentum, servatum a Macrobio Sat. I. 7, ex quo videmus, id quod supra iam monui, in festo Saturni concessam esse famulis avitam libertatem:

Maxima pars Graium Saturno, et maxime Athenae,
Conficiunt sacra, quae Cronia esse iterantur ab illis;
Eumque diem celebrant: per agros urbesque fere omnes
Exercent epulis laeti: famulosque procurant
Quisque suos: nostrique itidem, et mos traditus illinc
Iste, ut cum dominis famuli epulentur ibidem.

Mirum non videbitur, hunc morem apud Athenienses floruisse, quum huius reipublicae cives praecipua in

servos clementia et humanitate insignes fuisse notum est. Sed quum apud plures Graeciae populos eundem usum valuisse comperimus, iam libertatem per paucos dies concessam non clementiae Atheniensium tribuendam esse, sed generale hoc institutum fuisse colligitur, quo antiquorum ludorum memoriam subditis permittere vellent, ut specie quadam melioris conditionis servata animum ipsis adderent ad novos labores suscipiendos. Carystius in Hist. Comment. apud Athenaeum XIV. 9. de Cretensibus festa quae Hermea dicuntur agentibus narrat, dominos illis diebus ministrasse servis accumbentibus, eundemque morem apud Troezenios obtinuisse. Eodem libro cap. 10. Athenaeus e Batone refert, etiam Thessalos in Peloriis vinctos solvisse et servos accumbere et cum omni libertate epulari iussisse. — Nobiliores vero, penes quos regendae reipublicae arbitrium erat, quum agrum colendum Helotibus vel Penestis reliquissent, sollemnia non eodem ritu celebrare poterant, quo ii, qui liberos a labore annuo se sentientes exsultabant; sed eadem cum subditis numina agrestia, praecipue Bacchum, colere debebant, quippe qui intelligerent, salutem omnium dependere a frugum felici successu. Tum hi nobiliores in festis suis locum dedisse videntur lyrae sublimiori et magis severae, quae paulatim carmina agricolarum removit, et postea in poesin choricam accrevit. Quodcunque de istorum temporum conditione traditur cum hac opinione bene convenit, et praeterea idonea sic nobis praebetur causa, quare tam parca sint indicia agrestium ludorum apud antiquos Graecos, et quare de eadem re apud Romanos largiores fluant fontes.

Romae enim, qua in urbe etiamsi gens, aut si quis mavult, tres gentes nobilium regnarent, sub ditione sua tenentes priscos incolas regionis, a primis tamen temporibus orta est plebs, quae fortasse inde ab initio non tam graviter premebatur a patriciis quam Helotes a Spartanis et Penestae a Thessalis, certe autem postea Servio Tullio, ut fertur, regnante, eximia iam donabatur libertate. Cfr. Niebuhr. H. R. I. 297, sqq. 309 et 423, sqq. Romana itaque plebs arrogantiam patriciorum coercere coepit ante liberatam civitatem, atque eo minus a nobilibus contemnebatur, quo magis variis bellis eius vires augebantur. Liberi, si cum antiquorum Graecorum rusticis eos comparamus, plebeii, et ne tributarii quidem, proprios colebant agros, quo factum est, ut agricultura Romae suum retineret honorem. Summi viri dedecori non ducebant propria manu ex agri fructibus quaerere victum, et tribus agrorum prae urbanis aestimabantur. Igitur sollemnia quoque agricolarum Romanis nunquam indigna sunt visa quae agerentur, et non laboraverunt, ut melioribus institutis de gradu illa deiicerent. Hanc ob causam etiam cantica antiqua non immutata sunt, sed manserunt quae et qualia erant, et perennaverunt ferae et rusticae laetitiae specimina rudia, ex tempore composita temulenta mente. Quapropter in hisce Romanorum ludis frustra quaeres illam Arionis artem poeticam, quae altiores cogitationes, natas e naturae eiusque virium contemplatione, apto numero et rhythmo cantabat, et a lascivia ad gravitatem, a nugis ad aeternarum et divinarum legum descriptionem se extollebat. Romanae delectationes antiquae, accedente arte, carmina bucolica parere poterant et fabulas Atellanas, a

dramate autem Graecorum toto coelo distabant: poesin bucolicam Graeci excoluerunt, a quibus Romani profecerunt; de Atellanis infra disputabimus. Cavendum itaque, ne nimiis laudibus efferamus illa scenica poemata Romanorum, et cum choris dithyrambicis Graecorum componenda esse censeamus. Vestigia ruris numquam deseruerunt Romani, quumque eorum conditio omnem virium exercitationem ad agriculturam et bellum conferret, poemata propria humile initium non superaverunt, donec capta Graecia, ut Horatii verbis utar, victores cepit.

Postquam igitur antiquitus extitisse quaedam apud Romanos artis dramaticae primordia demonstravimus, restat, ut de diebus festis tum in agris tum in urbe institutis, de quibus supra universe locuti sumus, quaedam adiiciamus. Quum enim aegre ferrem, si quis in explicanda origine tragoediae Graecae neque ritus dierum festorum, qui elementa rei scenicae continerent, nec pompas nec mysteria exponeret, sed consisteret in Aristotelis iudicio; et mihi non acquiescendum esse duxi in relatis veterum scriptorum testimoniis, quae rem breviter complectuntur, sed scenica initia, quae in singulis cultibus se offerrent, conferenda esse iudicavi. Quo facto efficietur, partim ut ludi ipsi accuratius quam ante fieri poterat definiantur, suisque temporibus adscribantur, partim ut illa primordia perpetuo nexu pertinuisse conspiciantur ad veri dramatis originem.

Tempus feriandi et occasio lusibus indulgendi agricolis Romanis tam frequenter concessa invenitur, ut, si lex: FERIIS IURGIA AMOVENTO, EASQUE IN FAMULIS, OPERIBUS PATRATIS, HA-

BENTO[1]), operum et laborum quietem imperasset, vix restitissent dies quibus agro colendo vacarent; ita obsitum est antiquum calendarium feriis, sacris ludisque indicatis. Quum inquirerem in festorum ritum, reperi quae praecipue lusibus agricolarum celebrata videntur, alia in quibus choricum quoddam carmen canebatur, et denique tertium genus, in quo mimica quaedam ars cernitur; de omnibus itaque secundum ordinem dicendum. — Inter sollemnia, quibus ludos suos instituere poterant agricolae et pastores, praecipue numeranda sunt Faunalia, de quibus vide Horat. Carm. III. 18 et ad h. l. Schol. et Intterpp. Deinde Paganalia, Feriae Sementinae, Fornacalia et Terminalia. Etiam haec Terminalia in agricolarum festa recensenda esse putavi, quum proprie sic dicta sollemnia non ad deum Terminum, quem in Capitolio sacellum habuisse refert Livius I. 55, et V. 54, sed ad rusticorum Terminum colendum spectarent, cuius in tutela, ut ait Festus s. v. fines agrorum esse putabant. Mira Terminalium explicatio est apud Varronem, qui de L. L. V. p. 55. ed. Bip. scribit: „Terminalia, quod is dies anni exstremus constitutus." Ad vulgarem vero sententiam accedit Ovidius, qui Fast. II. 657, sqq. agricolas ruri sacrificasse Termino, chorosque ipsi instituisse tradit:

Conveniunt, celebrantque dapes vicinia supplex,
Et cantant laudes, Termine sancte, tuas.

Sed vide locum ipse, quum totum apponere longum sit. — Ad idem festorum genus cum nominatis per-

---

[1]) Cicero de Leg. II. 8, 19, cfr. II. 12, 19, ubi hanc legem pluribus explicat. Adde: Macrob. Sat. I. 16, et Virg. Georg. I. 268. (et ibi Vossii not.), qui docent, quid diebus festis agere fas sit.

tinent: Liberalia, Fordicidia, Palilia, Lupercalia, Robigalia, Floralia, Meditrinalia, Fontinalia, Compitalia, [1]) Vinalia [2]), Volcanalia sive Vulcania (v. Plin. H. N. XXVIII. 2). Erant denique sacra Spei, Salutis et Dianae, quae memorantur in calendario rustico antiquo, quod Hub. Goltzius in campo Florae ad palatium Farnesianum in marmore inventum exscripsit et in suum Antiquitatum Thesaurum intulit. His omnibus feriis agricolae ludis vacabant, quod vero in omnibus eadem fabula luditur, singula auctorum testimonia non addidi, quae apud Varronem, Livium, Ovidium, Val. Maximum, Plutarchum, Macrobium, Festum extant, librosque illorum evolventem non fugient. Floralia, quamquam ludi hoc festo celebrati egregie pro re mea certant, tamen hic afferre primum dubitavi, quod ex Plinii H. N. XVIII. 69. 3, et Ovidii Fast. V. 329. constat, Floralia post Livii Andronici tempora instituta esse. Joca itaque, chori, saltationesque meretricum, de quibus praeter alios Valer. Maximus II. 10. 8, Arnobius adv. Gent., VII. 33, et Ovid. l. l. inde a. v. 391. comparandi sunt, potius ab auctoribus artis scenicae desumpta videntur, quam antiquitus accepta. Agricolas autem priscos florum deam iam multo ante coluisse veri est simile; qui enim Robiginem et Fornacem venerabantur, hanc quoque deam cordi habere debebant, quae in arvis maximam vim exercebat. Cfr. Ovid Fast. V. 261, sqq.

---

[1]) Compitaliorum ratio non satis liquet. Paulus Manutius multa quidem de iis congessit, sed acriore illustratione egent.

[2]) De Vinalibus cfr. Jos. Scaligerum Castigg. ad Festum s. h. v. Fortasse eadem sunt, de quibus Virg. Georg. II. 385, sqq. et in fine eiusdem libri canit.

Praeter haec sacra, quorum nomina sola appellare satis habui, alia sunt, in quibus ludorum carminumque ratio clarius perspicitur, quapropter de iis aliquanto largius disputandum est. — Primum huc refero Ambarvale sacrificium, sic dictum, quod hostiam ducentes sacerdotes ante messem arva circumibant, sequente clamitantium et canentium agricolarum turba [1]). Virgil. Georg. I. 335, sqq.

Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret.
Quoi tu lacte favos et miti dilue Baccho;
Terque novas circum felix eat hostia fruges,
Omnis quam chorus et socii comitantur ovantes,
Et Cererem clamare vocent in tecta. Neque ante
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quam Cereri, torta redimitus tempora quercu,
Det motus incompositos et carmina dicat.

J. Scaliger ad Festum v. Amtermini eadem esse haec Ambarvalia contendit cum Amburbiis civium Romanorum, quae eadem Ambarvalia dicuntur; sed prorsus diversa mihi fuisse videntur, quum Amburbia non pro felici segetis successu sed pro salute urbis, et non Cereri soli, sed etiam aliis diis fierent, quod abunde iam indicant Suovetaurilium sacrificia. Cfr. Festum. Praeterea cum Amburbiis non confundendum est tertium Ambarvalium genus, quo pater familias, villae lustrans fines, Martem sibi conciliabat precibus, quibus Suovetaurilia adhibebantur, teste Catone in libro de Re

[1]) Nominis Ambarvalium fontem explicat Macrobius in Sat. III. 5, Festi auctoritatem laudans et addens: „Hinc enim videlicet et nomen hostiae acquisitum est, ab ambiendis arvis." Itaque vocabulum fictum est, ut Amburbialis hostia.

rustica. c. 141. — Quum autem in hoc Ambarvali festo non admodum perspicuum sit, utrum singuli carmina retulerint, an, quod videtur, chori concentu cantata sint, adiungo ludos Annae Perennae dicatos, quos Romani summa laetitia committebant. Ovid. Fast. III. 523, sqq. His enim ludis inter cetera carmina promiscua chori puellarum inducebantur iocantium et obscoenos versus canentium. Ovid. l. c. v. 695. Ex verbis:

— nam coeunt, certaque probra canunt,

nisi magnopere fallor, colligere licet, certum quotannis carmen a puellis cantatum esse, et quidem de lepida fraude Annae Perennae, quam eodem loco Ovidius multis narrat. Ceterum haec sollemnitas perantiqua erat, et ab Aenea instituta esse dicebatur.

Addo ludos saeculares, quorum origo in regum Romanorum tempora incidit, et fabulis involvitur. Notam omnibus Valerii Maximi (II. 4, 5.) de festi origine narrationem, cum qua comparari possunt quae Zosimus in Hist. II. 1, sqq. tradit, recoquere in animo non est. Gravissima lue orta numinum placandorum gratia inventi ludi saeculares, et primum in honorem Ditis et Proserpinae per tres noctes diesque editi sunt. Post exactos reges Valerius Publicola eos restituit, et quidem iterum ob morbum depellendum. Saepius postea repetiti sunt, tum autem non diis inferis solum, sed etiam Jovi, Junoni, Apollini, Dianae, Cereri et aliis sacrificia pro salute urbis fiebant. Cfr. Hor. in Carm. Saec. et ibi Intpp. Carmina chorica his sollemnibus cantata esse, multis argumentis probari potest, ne autem nimis extendatur sermo, ceteris omissis in discrimen voco locum Horatii:

— Tempore sacro
Quo Sibyllini monuere versus
Virgines lectas puerosque castos
Dis, quibus septem placuere colles,
Dicere carmen.

Cfr. v. 22. et 75. eiusdem carm. Saec. Versus Sibyllinos de quibus Horatius loquitur servavit Zosimus Hist. II. 6, quorum rem nostram maxime defendunt vv. 16, sqq.

καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων,
Ὅς τε καὶ Ἠέλιος κικλήσκεται, ἶσα δεδέχθω
Θύματα Λητοΐδης, ἀειδόμενοί τε Λατῖνοι
Παιᾶνας, κούροις κοῦραισί τε νηὸν ἔχοιεν
Ἀθανάτων· χωρὶς δὲ κόραι χορὸν αὐταὶ ἔχοιεν,
Καὶ χωρὶς παίδων ἄρσην στάχυς.

Zosimus multa quae ad celebrandum festum pertinent tradit et quemque ludorum diem describens, etiam haec refert: *κατασκευασθείσης δὲ σκηνῆς, δίκην θεάτρου, φῶτα ἀνάπτεται καὶ πυρὰ, καὶ ὕμνος ᾄδεται νεωστὶ πεποιημένος, θεωρίαι τε ἱεροπρεπεῖς ἄγονται.* Haec spectacula secunda nocte edita esse dicit; tertio die iterum ludi et spectacula, dein illa carmina chorica Apollini et Dianae instituebantur. Per omnes autem festi dies universus populus laetitiae se dabat, ut mandatum erat in oraculo v. 32:

— ἤμασι δ' ἔστω
Νυξί τ' ἐπασσυτέρῃσι θεωπροπίους κατὰ θώκους
Παμπληθὴς ἄγυρις· σπουδὴ δὲ γέλωτι μεμίχθω.

Versus Sibyllinos unde sumserit non docet Zosimus, sed se afferre velle dicit iam a quibusdam editos, quo maiorem suae ludorum descriptioni fidem adderet. Legitur praeterea idem oraculum apud Phlegonem

Trallianum in Mirabil. c. 4. Quem vero Zosimus festi ritum explicat, cavendum est ne eundem antiquis temporibus in usu fuisse censeamus; certe ludi illi scenici Augusti aetate, quum in renovandis saecularibus multa mutabantur, additi esse videntur, ita ut pro certo hoc solum venditari possit, choricum hymnum antiquitus adhibitum esse.

Existunt denique etiam quaedam indicia imitationum in antiquis sollemnibus, et licet difficile sit in singulis recte secernere ea, quae recentiorum temporum usus adiunxerit, tamen *μίμησιν* non prorsus ignotam Romanis fuisse, antequam peregrini eam docerent, ostendi posse confido. Quum enim cuivis generi imitationis maxime inserviat permutatio vestium et personarum usus, ita ut Graeci, quum Bacchi aut heroum facta imitando docere vellent, ornamenta sibi illorum sumerent, quorum fabulam proponere studerent, faciemque sive coloribus sive larvis dissimularent: vice versa, eodem argumento utens, quo Thierschius ad Pindarum de Thespide disserens, imitationem ibi in usu esse confirmo, ubi velationem invenimus. Hanc autem a Romanis usurpatam esse ante Livium Andronicum, certo argumento sint ludi Quinquatrium minorum, in Minervae honorem celebratorum, quibus tibicines per tres dies ferias agébant, et vario ornatu velati, canentes et lascivientes per urbem vagabantur. Liv. IX. 30. Ad haec Val, Max. II. 5, 4. addit, tibicines eum morem servasse, ut „personis tecto capite" concentus ediderint. Personae vero a tibicinibus non tum demum recepta sunt, quum iam histriones personati agere solebant, sed ab initio festi, Junio Bubulco Bruto. et Quinto Aemilio Barbula Coss. u. c. 439.

adhibebantur. Valerius enim, narrata fraude, qua tibicines, qui Romam irati reliquerant, vino somnoque sopiti reducebantur, senatus auctoritate Quinquatrium lusum institutum esse dicit, personasque adhibitas „pudore circumventae temulentiae." Itaque personarum usus cum festi origine cohaeret, quod et Ovidius docet in Fast. VI. 654, sqq:

Quid sibi personae, quid stola longa volunt?
— — — —
Plautius ut possent specie numeroque senatum
Fallere, personis imperat ora tegi.
Admiscetque alios: et ut hanc tibicina coetum
Augeat, in longis vestibus ire iubet. — — —
Res placuit: cultuque novo libet Idibus uti;
Et canere ad veteres verba iocosa modos.

Totam autem narrationem auctorum, quos laudavi, attente legentem praeterire nequit, rem ita proponi, ut tibicines non primi inventores nec personarum nec velationis videantur; de utrisque enim non ut de re nova, sed cognita iam dudum, tum vero primum in tibicinum usum versa, disseritur. Et revera ita est. Iam ludiones illi Etrusci, qui primi in ludos scenicos Romanorum quandam artem intulerunt, a. u. c. 391. (itaque ante tibicines), non sine scenico apparatu prodisse videntur, quod tamen in discrimen non vocabo, quum nonnulla veterum luculenta testimonia sententiam meam evertant, et, si recte se habeant, omnem de personarum usu antiquo quaestionem tollant. De his itaque prius dicendum.

Ut Donati, sive Evanthii, in libro de Comoedia et Tragoedia iudicium de tempore, quo larvis uti coeperint Romani, praeteream, locuples nobis est testis

Diomedes in libro III. p. 486. ed. Putsch. „Antea itaque, ait, galeris non personis utebantur, ut qualitas coloris indicium faceret aetatis, quum essent aut albi aut nigri aut rufi. Personis vero uti primus coepit Roscius Gallus, praecipuus histrio, quod oculis obversis erat, nec satis decorus in personis, nisi parasitus pronuntiabat." Cfr. Cic. de Nat. Deor. I. 28. Disertim hic locus ostendit ab histrionibus Romanis Ciceronis aetate acceptas esse personas; quod sane mirum, quum primi Romanarum fabularum scriptores et actores Graeci histriones essent, qui larvarum utilitatem nossent et omnem scenicum apparatum una cum fabulis Romam transferre possent. Rem ita mihi expedio: Quum Etrusci histriones ludos scenicos edere, et Livius Andronicus ceterique post eum fabulas docere inciperent, personarum usum Romae invenerunt, sed prohibiti sunt, quominus illas sibi assumerent, quod Romani cives ipsi in suis lusibus, in Fescenninis et postea in Atellanis eas usurpaverant, et de hoc iure suo peregrinis histrionibus cedere nolebant. Roscio vero deinde, quem universus populus maximo studio spectabat, tandem contigit, ut larvis uti Romani ei permitterent, quod semel concessum ceteris histrionibns postea demere neque volebant neque poterant. Hanc opinionem non meram coniecturam esse evincitur primum ex eo, quod scimns iuvenes Romanos, quum Graecae fabulae docerentur, plura sibi reservasse in Atellanis agendis, quibus uti ceteris histrionibus non licebat. Deinde testimonio sunt tibicines, qui ante Andronicum personati lusum instituebant. Denique locus Festi v. Personata, omnem litem dirimit, sententiamque meam

egregie defendit: „Personata fabula quaedam Naevii inscribitur, quam putant quidam primum a personatis histrionibus (actam). Sed quum post multos annos comoedi et tragoedi personis uti coeperunt, verisimilius est eam fabulam propter inopiam comoedorum actam novam per Atellanos, qui proprie vocantur personati, quia ius est iis, non cogi in scena ponere personam, quod ceteris histrionibus pati necesse est." Certum itaque est, Atellanarum actores longe ante Roscium personatos prodisse, meamque opinionem pace Donati et Diomedis stare. Quod autem apud Festum legimus de ponenda persona non liquere videtur, et quae J. Scaliger ad h. l. scripsit, facile in errorem inducere possunt, neque satis conveniunt Festi verbis. Liceat igitur de interpretatione viri docti, cuius merita in Festum satis agnosco, dubitationes meas proferre. Quod dicat auctor „deponere personam," hoc factum esse contendit Scaliger, quando exsibilarentur neque placerent histriones, exemplum petens de Pylade, quem personam quondam deposuisse refert Macrobius. Locus, qui Scaligeri animo obversabatur, est in Sat. II. 7: „Quum in Herculem Furentem prodisset (Pylades), et nonnullis incessum histrioni convenientem non servare videretur, deposita persona ridentes increpuit: *μωροὶ μαινόμενον ὀρχοῦμαι.*" At Pylades hic non cogitur veram faciem ostendere populo, sed suá sponte personam abiicit, ut media actione non Hercules sed Pylades incuset stultitiam spectatorum. Tum vero si hoc sensu „ponere personam" cum Scaligero explicamus, Festi locus intelligi nequit: Naevii enim tempore Atellani personati vocabantur, quod cogi non poterant ut ponerent per-

sonas, quo iure histriones carebant; at hi, si iussu populi faciem nudare debebant, certe personis utebantur, id quod Donatus Diomedes et ipse Festus negant. Equidem paulo negligentius Festum scripsisse puto, et „non cogi in scena ponere personam“ significare: Atellani cogi non poterant, ut sine personis agerent, ut personas ponerent fabulam acturi, quum in aliis ludis eas adhiberent: ceteri histriones sine personis agebant. Hoc modo omnia bene conveniunt, nisi quod ultima verba, „quod ceteris histrionibus pati necesse est,“ iterum incuriam librariorum aut Festi prodant. Nescio an Festo in mentem venerit, pravus quidam mos Romanorum, quo Mimos spectantes iubere solebant pulcras saltatrices vestibus depositis nudas saltare. Si vero hunc morem in animo habebat illa scribens, res confudit, et Naevii temporibus tanta libidine urbem certe vacasse credo, quamquam Val. Maximus II. 10, 8. M. Catone vivente hunc morem priscum dicit.

Quum autem supra imitationen et velandi ritum iam in pastoritiis ludis conspici dixerim, etiam hoc certis argumentis fulciendum est, priusquam ad reliqua transeam. Virgilius Eclog. X. 27. usum sanguinearum ebuli baccarum et minii ad os obducendum iam Pani deo attribuit, et in Georg. II. 388. antiquos agricolas festis diebus, quibus Bacchum colerent, horrenda ora sumere dicit confecta ex corticibus cavatis. Si alium tibi testem nominassem, fortasse non sine iure poetae narrationem a veritate aberrare posses credere, sed a Virgilio absit necesse est omnis suspicio, quum in his praecipue rebus raro eum uti scimus illa poetica Horatii licentia. Quapropter, quum Menalcam Eclog. V.

78. inter alia dona, quae Daphnidi quotannis paraturum se ait, promittentem facit:

Cantabunt mihi Damoetas et Lyctius Aegon;
Saltantes Satyros imitabitur Alphesiboeus,

non minus Romanos quam Graecos pastores describit, eosque ludos ipsis tribuit, quos apud illos in usu fuisse acceperat. In Graecia hae imitationes non in ludis agricolarum solum, sed etiam in mysteriis instituebantur, ubi augustiores et hominibus ingenuis plerumque digniores apparent, nec coercentur in habitu et vultu alicuius simulando, sed continuum factum oculis subiiciunt: in Romanorum ludis quales ab initio erant permansisse videntur, et mysteria Romana parum attulisse ad eas excolendas puto, quamquam hoc quidem negari non potest, in nonnullis cultibus secretas doctrinas extitisse, et occulta sacra ab initiatis Romae facta esse. Difficile sane est in hac quaestione de Romanorum mysteriis ex narrationibus veterum auctorum ea eligere, quae ad Romanos solos spectant, et secernere cetera, quae generali mysteriorum facta mentione, certius ad Graeca instituta referuntur; sed quia omnes huius nodi nexus solvere meum non est, tentabo pauca referre, quae in hac dissertatione merito expectentur.

Antiquissimus in Italia erat cultus Saturni. Fabulae, quae de origine huius religionis traduntur apud Macrobium Sat. I. 7, ex Graecia eum translatum esse ante omnem veram historiam demonstrant, quum aut Janum Italiae regem, aut Herculem, aut denique Pelasgos Saturnalium auctores nominent. Colebant Saturnum inventorem agriculturae, et ad eius festum omnes illos ludos, velationes et ioca adhibebant, quos supra de-

scripsi. Atque haud scio, an Saturno, cui prae ceteris numinibus frugum incrementum et messis ubertatem cordi esse putabant, etiam lusus et velationes rusticorum praecipue accepta sacra esse crediderint antiquitus, quum eadem in Graecia observata esse Lucianus doceat duobus locis. In Chronosolone 13. p. 520. ed. Schmieder inter leges de feriis Saturnalium haec mandantur: *μηδὲ ἀναγραφέτω ἐν τῇ ἑορτῇ, μηδὲ γυμναζέσθω Κρονίοις, μηδὲ λόγους ἀσκεῖν, ἢ ἐπιδείκνυσθαι, πλὴν εἴ τινες ἀστεῖοι, καὶ φαιδροί, σκῶμμα καὶ παιδιὰν ἐμφαίνοντες.* In Saturnalibus 2. p. 513, Saturnus inducitur referens, per septem dies imperii sui licere, *πίνειν δὲ καὶ μεθύειν, καὶ βοᾶν, καὶ παίζειν, καὶ κυβεύειν, καὶ ἄρχοντας καθίστασθαι, καὶ τοὺς οἰκέτας εὐωχεῖν, καὶ γυμνὸν ᾄδειν, καὶ κροτεῖν ὑποτρέμοντα, ἐνίοτε δὲ καὶ ἐς ὕδωρ ψυχρὸν ἐπὶ κεφαλὴν ὠθεῖσθαι, ἀσβόλῳ κεχρισμένον τὸ πρόσωπον.* Cfr. 9. p. 517. et fragmentum Accii supra allatum. Ex his colligatur, quomodo Saturnalia et in Ittalia instituta sint. Cum hoc vulgari Saturni cultu autem, qui magis observabatur ab agrestibus hominibus, alia sacra coniuncta erant in Italia, quibus deus antiquus moderator vitae colebatur, adhibitis antiquis ritibus, quorum sensus initiatis occulta doctrina traditus esse videtur. Testis est Macrobius l. c. qui caerimonias Saturnalium explicaturus, (cfr. c. 8. eiusdem libri) se illa sola enarrare posse ait, quae in fabulis et in physicorum doctrina sint [1]), quum, „quae ad arcanam divinitatis naturam referantur, et occultae et manantes ex meri veri fonte rationes ne in ipsis qui-

[1]) Quomodo physici fabulas de Saturno explicaverint, docet Cic. de N. D. II. 24, 25.

dem sacris enarrari permittatur, et is, qui illas assecutus sit, continere intra conscientiam tectas iubeatur." Cum vulgari Saturnalium cultu ceterum is comparari potest, quem in Megalesiis reperimus; et in hoc praecipue pertinacia Romanorum cernitur, qua antiquos mores tenentes ne meliora quidem iis suffici patiebantur. Populus enim, quum mox post advectam Magnam Matrem ludi scenici, arte iam spectabiles, in eius festo instituerentur, priscum cultus ritum protraxit, variis inter epulas lusibus et iocis Matrem deorum propitiam civitati reddere studens. Ad hunc venerationis morem animadvertit Vopiscus in Aurel. init. Script. Hist. August. Tom. II. p. 15, ed Lugd. Bat., dicens, Megalesiorum diebus „omnia festa [1]) et fieri debere et dici;" largius vero eum describunt Cicero, multis locis, et Ovidius. Fast. IV. 181, sqq. De imitationibus, quae in hoc festo ut in Saturnalibus usurpabantur, sermonem facit Herodianus I. 10: *ἦρος ἀρχῇ ἑκάστου ἔτους, ὡρισμένης ἡμέρας μητρὶ θεῶν πομπὴν τελοῦσι Ῥωμαῖοι. — — — ἄνετός τε πᾶσι δέδοται ἐξουσία παντοδαπῆς παιδιᾶς· ἕκαστος, ὃ βούλεται σχῆμα, ὑποκρίνεται· οὐδ' ἔστιν οὕτω μέγα ἢ ἐξαίρετον ἀξίωμα, ὃ μὴ παντὶ τῷ βουλομένῳ ἀμφιεσθέντι ὑπάρχει παῖξαί τε καὶ κρύψαι τὴν ἀλήθειαν, ὡς μὴ ῥαδίως διαγνῶναι τόν τε ὄντα καὶ τὸν μιμούμενον.*

Eadem laetitia apud Romanos Ceres colebatur; Cfr. Fast. IV. 391, sqq. Liv. XXII. 56, et adde Alexandrum ab Alexandro, qui multa de Cerealibus contulit

[1]) Cfr. Salmasium ad h. l. qui festa id esse quod iocosa multis docet. De eodem festo etiam docte egit Casaubonus ad Lampridium in Alex. Sev. p. 951. eiusd. ed.

in Genial. Dier. lib. VI. c. 19. Praeter publicam venerationem sacra occulta erant, quae a matronis Cereri fiebant, et quidem Romana religione antiqua, quam ut alia mysteria fortasse ex Etruria acciverant. Quamquam enim Romanis licebat, initiari Graeco Cereris sacro, tamen prorsus aliena ab Eleusiniis Atheniensium fuisse haec matronarum mysteria colligitur ex Ciceronis verbis, quibus in libro de legibus II. 15, 37. legem de Cereris sacro explicat. Neque, si eadem erat religio, Tiberius Claudius Eleusinia Romam transferre conatus esset (Sueton. Claud. 25.), id quod post eum Hadrianus perfecit, teste Aurelio Victore in eius vita: „atque (ut) initia Cereris Liberaeque, quae Eleusina dicitur, Atheniensium modo Roma percoleret.“ Cultum autem novum non in eo ab antiquo discrepasse, quod tum primum cum Cerere etiam Liberam coeperint venerari, intelligitur ex Cic. N. D. II. 24: „hunc dico Liberum Semele natum, non eum quem nostri maiores auguste sancteque Liberum cum Cerere et Libera consecraverunt, quod quale sit ex mysteriis intelligi potest.“ Ceterum Ciceronis aetate multi Romanorum Athenis initiabantur Eleusiniis, teste Cic. de Legg. II. 14, 36, et Augustum initiatum esse iisdem sacris docet Suetonius in Aug. 93. — Differebant itaque certe inter se Romana Cereris occulta sacra et Eleusinia Atheniensium, quamquam qualia ante Hadrianum Romae celebrata sint non facile aliquis extricabit. Praeter Etruscos in Cereris mysteriis instituendis non exiguam vim habuisse videntur sacerdotes Neapolitanae sive Velienses, ita ut Cicero, pro Balbo 24, 55. omnes adeo caerimonias huius occulti sacri e Graecia petitas esse dicat: „Sacra Cereris, iudices,

summa maiores nostri religione confici caerimoniaque voluerunt: quae quum essent assumpta de Graecia, et per Graecas semper curata sunt sacerdotes et Graeca omnia nominata." Quod eodem loco de sacris per sacerdotes monstrandis loquitur, de doctrinis occultis dictum esse videtur, quae a sacerdotibus docebantur, secundum legem a Cicerone servatam, (v. de Legg. II. 9, 21). Illa Ciceronis verba et lex supra memorata, qua interdictum erat initiari Graeco sacro, nisi Cereris mysteriis, commovisse videntur Arntzenium, ut ad Victorem l. l. omnino negaret, Hadrianum Eleusinia Romam transtulisse, sed initiatum modo fuisse contenderet. Quo vero iure non perspicio, fac enim Hadrianum, qui ob Graecarum rerum studium Graeculus appellabatur, in antiquum Cereris cultum induxisse ritus, quibus Athenis Eleusinia peragebantur, omnia bene conveniunt. Victoris narrationi magis contradicere videtur Aelius Spartianus, qui de Hadriano c. 22. refert: „Sacra Romana diligentissime curavit: peregrina contemsit." Sed non dubito, quin voce peregrina significaverit Aegyptiaca, quae et Salmasii a. h. l. sententia est. Utcunque res se habet, praeter agricolarum Cereris cultum prisco tempore mysteria eiusdem deae fuisse Romae satis demonstratum esse puto.

Non minus antiqua celebrabantur mysteria Bonae Deae, quae ut Cereris sacra a solis matronis fiebant. Cic. pro domo 40, 105, de Har. Resp. 5, 8, et praecipue 17, 37: „Etenim, dicit, quod sacrificium tam vetustum est, quam hoc, quod a regibus aequale huic urbi accepimus? quod autem tam occultum, quam id, quod non solum curiosos oculos excludit, sed etiam er-

rantes? quo non modo improbitas sed ne imprudentia quidem possit intrare? quod quidem sacrificium nemo nisi P. Clodius omni memoria violavit, nemo unquam adiit, nemo neglexit, nemo vir adspicere non horruit: quod fit per virgines Vestales, fit pro populo Romano, fit in ea domo, quae est in imperio, fit incredibili caerimonia, fit ei deae, cuius ne nomen quidem viros scire fas est." Cfr. 27, 57. Qui vero auctoritatem laudatarum orationum, utpote quae suppositiae sint, temere spernit, videat Cic. pro Milone 27, 72, et 31, 86, ad Brutum Ep. V. 21. fin. VI. 1. fin. et XV. 21; quae mysteria ibi Romana vocantur, sunt mysteria Bonae Deae. Cfr. J. F. Gronov. Obss. IV. 9. Matronas Romanas in his mysteriis Graecorum more facta deorum retulisse paene certiora quam in ceteris sunt indicia. Cognitionem sacrorum, ut Romae ea instituerentur, debemus Plutarcho, qui in Caesare c. 9. cultum Bonae deae, qualis in Phrygia et Graecia erat, comparat cum Romana religione, deinde pergit: *ἄνδρα δὲ προσελθεῖν οὐ θέμις, οὐδ᾽ ἐπὶ τῆς οἰκίας γενέσθαι, τῶν ἱερῶν ὀργιαζομένων· αὐται δὲ καθ᾽ ἑαυτὰς αἱ γυναῖκες πολλὰ τοῖς Ὀρφικοῖς ὁμολογοῦντα δρᾶν λέγονται περὶ τὴν ἱερουργίαν· ὅταν οὖν ὁ τῆς ἑορτῆς καθήκῃ χρόνος, ὑπατεύοντος ἢ στρατηγοῦντος ἀνδρὸς αὐτὸς μὲν ἐξίσταται καὶ πᾶν τὸ ἄῤῥεν· ἡ δὲ γυνὴ τὸν οἰκίαν παραλαβοῦσα διακοσμεῖ, καὶ τὰ μέγιστα νύκτωρ τελεῖται, παιδιᾶς ἀναμεμιγμένης ταῖς παννυχίσι, καὶ μουσικῆς ἅμα πολλῆς παρούσης.* Cfr. c. 10, in quo varia ad mysteriorum ritum pertinentia traduntur.

Quibus omnibus quum iam abunde quod volui demonstratum sit, cetera Romana mysteria in quibus

etiam, licet obscurius, imitatio quaedam apparet, praetereo. Unum autem, in quo vere Romana religio esse videtur addam, quod nescio, utrum iam a viris doctis observatum sit, nec ne. Arnobius adv. Gent. V. 18. inter alia argumenta, quae in mysteriis Cereris Bacchi, Magnae Matris aliorumque deorum oculis initiatorum imitando proponebantur, fabulam narrat, de modo, quo Ocrisia Servium Tullium concepisse fertur, quam novimus ex Dionysio. IV. 2, et Ovidio Fast. VI. 627, sqq. Hanc fabulam dicit occasionem dedisse mysteria Conserentum deorum faciendi. De Conserentibus diis cfr. Gessneri Thesaur. Alexander ab Alexandro colligens veterum de hac re testimonia, sacra illa ad Compitalitios ludos refert, quos in Larium venerationem a Servio Tullio institutos esse tradidit Macrobius in Sat. I. 7.

Omnia haec mysteria et ludi rustici, de quibus supra dictum est, minus in Bacchi quam in reliquorum deorum cultu usurpabantur, et revera Bacchus apud Romanos non in eo, quo in Graecia, honore habitus ésse videtur. In ludis agricolarum tam raro Bacchi mentio fit, ut, si ex his solis Romae ars scenica nata esset, nemini profecto in mentem venisset poetis acclamare Graecum illud: *οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον.* Non negabo equidem Romae quoque Bacchi cultum late patuisse, et scio non sine Libero Cereris sacra in mysteriis facta esse, sed chori illi splendidi, qui in Graecia laudem huius dei canebant, Romae nusquam reperiuntur antiquis temporibus. Bacchanalia autem Romana in discrimen vocari nequeunt, sero enim irrepserunt, et orientia tantam morum corruptelam, tantaque flagitia Romam detulerunt, ut ex

cidium potius reipublicae quam artem scenicam gignere potuissent nisi, malo clandestino detecto, consules patriam servassent. Liv. XXXIX. 8, sqq.

Quum quae hucusque disputata sunt fere omnia contineant, in quibus elementa dramatis apud Romanos cernuntur, iam finem facere poteram huic capiti; sed vereor, ne ita desideres locum, qui in hac disquisitione, omnia complectente, quaecunque drama Romanum provocare poterant, haud parvi momenti est. Poesis scenica ex natura sua tum demum ad artis fastigium pervenire potest, quum cetera poesis genera iam exculta atque perfecta illam adiuvant et nutriunt: ex intima enim coniunctione carminis lyrici et epici tandem prodit hoc summum Musarum opus. Quum Graeci operam dare inciperent arti scenicae, Homerus ceterique mirabile iam condiderant epos, Pindarus hymnis suis summum inter omnes detulerat honorem, et in omni cultu divino vitaque vulgari adhibita erat poesis sublevans animum atque extollens. Mirum itaque iure videretur, si artis dramaticae apud Romanos originem docturus, silentio premere vellem reliquam poesin antiquam Romanam, si quae, exceptis illis rusticis carminibus ante Livium Andronicum fuerat. — Plerique non dramatis solum, sed etiam cuiusvis generis poesis auctorem Andronicum faciunt, et inde ab eius aetate historiam artis poeticae repetunt. Hi vero meo iudicio de via veri non magis aberrant, quam recentiorum quidam, qui nimio extremae antiquitatis studio exacta pulcraque carmina antecessisse eum confirmant, qui Romana igenia primus ad poesin excitavit. Quae mihi, singula retractanti visa sint paucis illustrabo.

Primum inter carmina Romanorum antiqua locum obtinent vaticinia, quae referuntur ad Evandrum, Carmentam, Sibyllas et ad Murcium, cuius fragmenta duo servavit Livius XXV. 12, quae satis spirant poeticum. Hi et alii, quorum nomina nos latent, fortasse auctores librorum sunt, quos Horatius. Epp. II. 1, 26. annosa volumina vatum appellat. Certiora deinde indicia priscae poesis exstant carmina Saliorum, de quibus Quintilianus I. 10, 20: „Versus quoque Saliorum habent carmen. Quae quum sint a Numa rege instituta, faciunt manifestum, ne illis quidem, qui rudes et bellicosi videntur, curam musices, quantum illa recipiebat aetas, defuisse." Cum Quintiliano Ovidius, Livius et Plutarchus Numam auctorem sacerdotii Saliorum tradunt, quod autem ita intelligendum esse puto, ut hic rex certa sacra Martis, et quosdam in illis ritus sollemnes assignasse dicatur Saliis, quorum origo in antiquissima tempora referenda est. Res est manifestissima, et ipsum illud, quod de Veturio Mamurio narratur ab Ovidio in Fast. III. 380, sqq., a Propertio in Eleg. IV. 2, 61, et a Festo s. h. v. non repugnat, siquidem concedamus fabulam veram esse, quam in dubitationem vocant verba Varronis de L. L. V. p. 64. ed. Bip.; meam autem opinionem contra vulgarem hoc loco defendere alienum est, quum de carminibus Saliorum quaerere instituerim. Haec initio non Marti soli, sed etiam Herculi, Jano, Junoni, Minervae et aliis cantabantur, et praeter deos atque heroes, homines quoque laudabant. Utrumque docet Festus v. Axamenta; Herculem, cuius hic mentionem non facit, addidi auctore Virgilio Aeneid. VIII. 285, sqq. Deinde, quod iam postulat chori conditio, non extem-

poralia erant haec carmina, sed antequam canerentur conscripta, et a parentibus postea filiis tradita perennarunt usque ad Varronis et Horatii aetatem, qua extabant nonnulla, quae Numa regnante composita esse ferebantur. Horat. Epp. II. 1, 86, Varro de L. L. VI. init. Cantum Saliorum saltatio comitabatur, quam non decursum per urbem, sed verbis carminum accommodatam et mimicam, similemque fuisse puto illi, quae in Doricis civitatibus diis instituebatur. Cfr. Mueller. Hist. III. p. 341, sqq. Ex Arcadia hanc saltationem petitam esse tradunt Festus, ex Polemone, (s. v. Salii) et Isidorus in Orig. XXIII. 50, qui rem satis ridicule narrat; ex Samothrace Romam venisse testatur Critolaus apud Festum l. l. quod utrumque ad opinionem meam probandam non parum affert. Carmina Saliaria igitur non sine omni arte composita fuisse videntur, et testimonia sunt priscae poesis apud Romanos; sed tamen documento esse nequeunt, artem poeticam per sequentia ad Andronicum usque saecula floruisse, quum qualia Numa rege, si hoc nomine accuratius definitur antiquum tempus, confecta erant, permanserint sine ulla mutatione, ita ut Augusti tempore magnopere vexarent interpretum laborem, et vix sacerdotibus Saliis ipsis satis intelligerentur; religio illa mutari vetabat, et „consecratis utendum erat" V. Quintil. Inst. I. 6, 40.

Inter bella autem post Numam poesin non omnino neglectam esse ab Romanis, testatur Cicero in Tusc. Quaest. IV. 2,: „Gravissimus auctor in Originibus dixit Cato, morem apud maiores hunc epularum fuisse, ut deinceps qui accubarent canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes. Ex

quo perspicuum est, et cantus tum fuisse rescriptos vocum sonis et carmina." Cfr. eundem ibid. I. 2. et Val. Max. II. 1, 10. Ad prima reipublicae tempora hunc morem referamus necesse est; licet enim maiores a Catone memorati dubitationem admittant, tamen alio loco Cicero multis saeculis ante Catonem illum usum valuisse affirmat: v. Brutum 19, 75, ubi et illud repetit, carmina a singulis convivis cantata esse, quo fit, ut non inique cum Scoliis Graecorum comparentur. Romana vero carmina non ex tempore canebantur, sed ante composita erant, et inter haec antiqua fuisse videntur, quae ore hominum circumferebantur; ita enim Varro apud Nonium s. v. Assa voce: „In conviviis pueri modesti ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant maiorum, et assa voce et cum tibicine." Hunc Varronis et primum illum Ciceronis locum iam Niebuhrius laudavit, qui in Hist. Rom. I. p. 263., secundae editionis haec carmina ad poesin epicam accedere recte monuit, quamquam mirum est in omnibus testimoniis illis de laudibus solis et de virtutibus maiorum sermonem esse. Sed hoc urgere nolo, et necessario statuendum esse censeo, laudem maiorum celebrandis factis cantatam esse, illaque carmina elementum epicum habuisse. Num vero epos de regum fatis, continuum maioreque ambitu Romani antiqui condiderint, quaestio est, quae, si mihi licet eloqui quod sentiam contra virum illustrem, neque ex his locis allatis neque e narrationum habitu et quasi charactere satis solvi potest; atque haud scio an eodem iure aliquis contendere possit, hymnos lyricos a Romanis priscis cantatos esse, quod ex Livio et Dionysio compertum ha-

bemus, milites Romanos triumphum comitantes carmina de victoribus ducibus cecinisse. Si carmen aliquod epicum, quale Niebuhrius vult, Ciceronis et Livii temporibus extitisset, aut si modo fama de illo delata esset, certe Romani scriptores summo opere illud plaudebant, quum omnia sua summis laudibus efferre, et multo minus probata servare et praestantioribus inventis aliorum anteponere solerent, ita ut Cicero adeo libere profiteatur, se praeterire illa, quae Romani a peregrino fonte duxerint, ne, quae peperisse ipsi putarentur, aliunde didicisse videantur. Praeterea Ciceronis aetatem facile attingere poterant illa carmina, si quae fuissent; republica enim iam florente orta esse, docet ipse Niebuhrius. Sed auctores non solum tacent de antiqua epica poesi; ad unum omnes Andronicum primum dignum habuerunt poetam quem laudarent, et Naevium primum tradiderunt, qui de rebus gestis Romanorum carmen epicum condiderit. Nam Ennii fragmentum:

Scripsere alii rem
Versibus quos olim Fauni vatesque canebant:
Quum neque Musarum scopulos quisquam superarat
Nec dicti studiosus erat —
Ante hunc — —

testimonium carminum epicorum antiquorum non adhibuerim, quum vel ad vaticinia Romana, ut Columnae placuit (v. not. ad hoc fragm. p. 47.), vel potius ad Naevium, quem Ennius detrectat, spectare videatur.

His carminibus, qualiacunque erant, non dissimiles fuisse existimo Nenias, quae ad tibicinem conscriptae quemadmodum illa laudes clarorum virorum efferebant, abstinentes omni tristi quaerela. Cfr. Cic. de Leg. II.

24, 62, Festum v. Nenia. Ad Nenias canendas praeter tibiam etiam fides adhibitas esse testatur Varro apud Nonium s. h. v., ex quo loco fortasse etiam coniicere licet, haec carmina non ad singulos sed ad chorum pertinuisse. Si vero Neniae omnes ad modum illorum fragmentorum compositae erant, quae Niebuhrius in Hist. Rom. I. p. 265. descripsit, e Neniis desumpta esse censens, satis profecto pedestre hoc genus poesis fuisse videtur.

Utrum liceat ad haec addere poesin antiquam satiricam, quae praeter ludos Fescenninos Romae exercita sit, necne, non liquet, quum loci (Horat. Epp. II. 1, 147. Liv. VII. 2.) quibus praecipue eius mentio fit, rem ita proponant, ut sententiarum nexus doceat, de scenica poesi sermonem esse. Ad eandem autem spectare non videtur lex quaedam XII tabularum: SI QUI PIPULO OCCENTASIT, CARMENVE CONDISIT, QUOD INFAMIAM FAXIT FLAGITIUMVE ALTERI, FUSTE FERITOD; Augustinus (C. D. II. 9.) hanc legem servavit ex libro IV. de Republ. Ciceronis descriptam; et eandem respicit Cicero in Tusc. Quaest. IV. 2, 4: „Quamquam id etiam XII tabulae declarant, condi iam tum solitum esse carmen: quod ne liceret fieri ad alterius iniuriam, lege sanxerunt." Horatius denique, qui in Serm. lib. II. 1, 50. legem memorat, ad poemata satirica eam referre videtur; at pro certo tamen non statuerim, alia quam scenica carmina maledica antiquo tempore composita esse. Praeter haec nulla poesis apud priscos Romanos indicia reperi, nisi forte et hoc adiiciendum est, ex frequente fidium et tibiarum usu colligi posse, bellicosum populum

nonnunquam musicae et poesi operam dedisse. Cfr. Quintil. I. 10, 19. Ovid. Fast. VI. 651, sqq.

Haec fere sunt quae de institutis antiquis, in quibus elementa dramatum cernuntur, et de universa poesi Romanorum, quae Livium Andronicum antecedebat, dicenda mihi videbantur, ut intelligatur, quid Romani ipsi ad inveniendam artem, de qua disserere propositum est, attulerint. Rara profecto et incerta quum in cultu deorum tum in vita vulgari invenimus artis vestigia, quae quum magnam partem et ex poetis qui temporum rationem parum curant collecta, et coniecturis quae non omnem dubitationem tollunt delecta sint, iudicii veritatem fortasse eludunt. Sed hoc tamen omnibus computatis pro certo statuere audeo, Romanis, quum artem scenicam a Graecis didicissent, non defuisse quod novo invento de suis antiquis institutis insererent, et rem dramaticam ipsis non tam peregrinam ac novam apparuisse, ut plerumque opinio fert; sed novam certe, ut dicit Livius VII. 2. Populum Romanum, nisi Graecos praeceptores habuisset, sero, aut, quod verius est, suo ingenio nunquam ne id quidem perfecisse existimo, quo nunc aliquam famam inter poetas sibi comparavit. — Quod vero drama Graecum Romanis a suis rebus non prorsus alienum visum esse contendi, hoc ipsum non Romanis solis, sed maximam partem Etruscis deberi manifestum est. Nam antequam Graeca ars Romae oriretur, antiquos ludos non parum auctos esse opera Etruscorum, compertum habemus, ita ut hi primi vera arte res scenicas a nimia rusticitate revocaverint. Itaque de iis ludis, qui post receptos Etruscos ludiones a Romanis instituebantur prius dicendum est.

Cap. II.

Postquam multis bellis spectata virtus Romana civitatem egregie confirmaverat, ut confisa suis viribus aemulationem invidiamque finitimorum populorum spernere posset, neque perpetuus hostis externi timor anxias mentes cura distraheret: initia artis scenicae ex Etruria Roman delata sunt, satis apto, si ad externam reipublicae statum respicimus, temporis momento, quo iuvenili animo pacis artibus magis quam antea dedere se possent. Sed eadem etiam aetate longae patriciorum et plebis dissidiae compositae erant, omniumque animi post certamina et tumultus civiles in unum convenerant, validaque reipublicae vis, cui in urbe non amplius sufficiens se exercendi potestas praeberetur, quum omnes unum idemque sentirent atque cuperent, patriam scilicet communem tueri et augere, tunc in finitimas gentes erumpere debebat. Bella itaque ex bellis orta natam artem fere oppresserunt, multisque demum praeterlapsis annis Graeco homini contigit, intentos ad rem augendam animos ut ad Musas colendas revocaret.

Secundo post primum plebeium consulem anno, et a seditione et a bello quietis rebus, quum vis morbi, anno praecedente orti, nec humanis consiliis nec ope divina levaretur, victis superstitione animis, ut tradit Livius, ludi quoque scenici, histrionibus ex Etruria petitis, inter alia coelestis irae placamina instituti. Novum ludorum genus, necessitate et timore urgente, religionis causa inventum esse a Romanis, non est quod mireris, quum a principio civitatis deos colere et templa ipsis aedificare imminente demum gravi peri-

culo solerent. Hac ratione templo donatus est Jupiter Stator a Romulo, et pestilentia ludos Saeculares celebrare Romanos coegit; morbus deinde Aesculapio inter Romanos deos locum dedit, et res adversae ad Magnam Matrem a Pessinunte advehendam et ad ludos ipsi faciendos impulerunt. Romani igitur ut valerent ipsi ludos diis instituebant; Graeci vero, quod diis ludos placere putabant, deos enim sibi fingebant ipsi ad ingenii sui naturam, quique populus libenter ludit, etiam φιλοπαίγμονας facit deos. Cfr. Plato. Cratyl. Tom. III. p. 276, ed. Bip.

Historiam novae artis, ut iam ad Etruscos ludos Romam delatos accedam, cognovimus praecipue ex Livii et Valerii Maximi narrationibus. Loco Livii, qui extat in libri septimi capite secundo, multi viri docti operam navarunt, et tam multi eum explicare conati sunt, ut, qui omnia conferre vellet, haud mediocre volumen expleret. Sed et hic accidit, quod plerumque in antiquitatis studio, ut, quum res confundere unus coeperit, ceteri sequantur, ex coniecturis coniecturae oriantur, et postremum non quaeratur, quomodo auctor intelligendus sit, sed quibus interpretantium sententiae refelli possint. Praecipua sua cura iam librarii hunc locum egere putaverunt, coeperuntque corrigere et corrumpere, ut sanam lectionem restituere difficilimum sit. Recentiores fere omnes rei ipsius obliti in verbis haeserunt, quo facto, licet multa praeclara afferrent, tamen non expediverunt, quomodo nova ars paulatim accreverit, maximamque partem eo in errorem inducti sunt, quod antiquos Romanos ludos, ne verbo quidem ad explicationem adhibuerunt. Missam itaque faciens, quoad fieri potest, venerandorum

virorum de singulis verbis litem, ea sola proponere conabor, quae ad cognitionem artis scenicae nascentis pertineant.

Incertum esse videtur, utrum, quum pestis causa ludi faciendi essent, ludiones Tusci primum scenicum spectaculum Romae ediderint, an iuvenes Romani. Nam Valerius Maximus II. 4, 4, contra vulgarem opinionem diserte spectaculorum originem a iuventute, quae carmina irae divinae placandae gratia composita suis iocis exceperit, coepisse narrat his verbis: „Verum ut est mos hominum parvula initia pertinaci studio prosequendi, venerabilibus erga deos verbis iuventus rudi atque incomposito motu corporum iocabunda gestus adiecit. Eaque res ludium ex Etruria accersendi causam praebuit." Huius decoram pernicitatem, deinde pergit, vetusto ex more Curetum Lydorumque, novitate grata Romanorum oculos permulsisse. Secundum hanc Valerii narrationem ludiones Tusci, quos Livius eodem anno, quo morbus Romanos vexaret, auctores scenicorum ludorum fuisse tradit, addens principia ipsa artis peregrina fuisse, post multos annos vocati esse potuerunt, et spectacula, ob morbum depellendum edita, magis accedunt ad antiquos Italiae ludos, quos postea Tusci arte saltatoria exornant. Sed vix credi potest Romanos tum temporis merae artis causa Etruriae auxilium expetivisse, quod Valerii verba indicare videntur. Tarquinium Superbum artifices et fabros ex illa terra, quae Graecis artibus imbuta erat, iam ante evocasse (Liv. I. 56.), non est quod contra meam rationem certet, quia rex Romanorum non ut voluptatem pararet populo, sed ut diis templa strueret, peregrina scientia uti volebat. Postea autem semper gravi

necessitate coacti Romani Etruriam petunt, ut, sive imminente ex prodigiis periculo, sive praesente iam malo, inde deorum voluntatem ex vatibus discant, tam parum confisi propria rerum divinarum peritia, ut, quum quondam bello contra Etruscos orto illorum vates consulere prohiberentur, religionem solitam negligerent. V. Liv. V. 15. Itaque, quum omnibus malorum remediis tentatis ab Etruscis semper opem quaererent, simillimum est vero, eos in hac tempestate quoque adisse Etruriam, et, fama fortasse perlata, hunc populum ludis scenicis deos placare solere, histriones inde accivisse, ut et ipsi iisdem ludis numina sibi reconciliarent. Illos vero nonnullis annis post, morbo finito, ludios peregrinos desiderasse, equidem mihi persuadere nequeo; quapropter Livii narrationem praefero.

Ludorum genus, quod tum Romae instituebatur, a simplicitate Romanorum non abhorruisse videtur: ludiones neque cantantes neque carminis argumentu imitando referentes ad tibicinis modos saltabant, itaque nec histriones, eo scilicet sensu, quo postea nomen accipiebatur, neque, quod Zieglero in Diss. de mimis visum, mimi erant. Mimi enim praeter imitationem versus iactabant, hi autem tacentes haud indecoros motus dabant; versus enim postea a iuvenibus additi, qui, ut ait Livius, Etruscos „imitantes saltando, simul inconditis inter se iocularia fundebant versibus; nec absoni a voce motus erant." Sed cavendum, ne putemus haec omnia non differre ab antiquis ludis, quibus saltationem et ioculares versus non defuisse vidimus. Quod enim eo usque in pagis exercuerant agricolae, id tunc in urbem illatum, et excitatis spectatoribus, sive ad aras deorum, sive,

quod potius existimo, in scena extructa aut in aliquo suggestu [1]) non tantopere ad voluptatem ludentium quam spectatorum actum; dicteria, quae ante inter epulas temere iactitaverant, ut laetitia et vinum suadebant, tunc certo tempore non temere, sed consulto, et ita, ut ante ludum inter ipsos convenisse videatur, quid dicere, quid tacere vellent, prolata; non longe post primum spectaculum hoc certe factum est. Et denique, quod praecipue notandum, saltatio rudis atque rustica antea dehinc temperata est arte Tusca, quam tum iam spectabilem fuisse Livius et Valerius docent; quamquam sequentium temporum saltandi studium, cui Romani, quod mox probabo, totos se dabant, Etruscorum artem facile superabat, ita ut Cicero conqueratur adeo saltationem nimis expolitam suo tempore transgredi pulcri modum (De Leg. II. 15,§ 39.). Augusti vero aetate omnis antecedens ars „rudis saltationis ritus" appellabatur, quam Pylades venusta novitate mutasset [2]), ex quo intelligitur, qualis Etruscorum saltatio fuerit. Haec itaque omnia accedere debebant, ut esset „res nova" et „exquisitus religionis cultus." Deinde ludionibus Romanis nomen histrionibus inditum, [3]) quum res „saepius usurpando excitata iam singulari arte tractari coepisset", iique qui propriam artem exercerent, proprio quoque nomine significandi viderentur.

---

[1]) Romani promiscue circumstantes hos ludos et Circenses spectabant usque ad annum 558, quo senatores, equites et plebs certis sedibus secernebantur. V. Liv. XXXIV. 44 et 54.

[2]) Verba sunt Macrobii in Sat. II 7, ubi de Pyladis arte disserit.

[3]) Sive a Tusca voce appellativa, sive a nomine proprio Histrione, quod Plutarchus, sive ab Histria regione, quod Festus dicit.

Tum Fescenninos versus reliquerunt iuvenes coeperuntque canere Saturas, quae elegantia et festivitate illis praestabant, et, ut equidem puto, longioribus quoque carminibus compositae erant. Livius enim Saturas nominat impletas modis, i. e. certo rhythmo atque numero descriptas, ut congruente tibiarum cantu pronuntiari possent, quod et diserte additur: dein laudata antecedentia Livii verba, quae quidem corruptelae suspicione non carent, hoc tamen auctoritate omnium codicum probant, quod dixi, Saturas non tam incompositas et rudes fuisse quam Fescenninos, neque alternis versibus iactatas esse, quod non satis animadversum est. Hae igitur Saturae auctae artis dramaticae argumentum praebent, praesertim quum, antequam agerentur, compositae a poetis esse deberent; ad tibicinis enim cantum. descriptae erant. Rambachius in annotationibus ad Casauboni librum de Satyr. Graec. et Satir. Rom. II. p. 181. hos ludos componit cum dramate Satyrico Graecorum, eoque differre ait, quod Graeci Satyros aut deos hisce similes induxerint. Non autem ab hac solum sed ab omni parte hi ludi Romani a dramate Satyrico discrepabant, nec ullam prorsus similitudinem in utrisque extitisse arbitror: drama illud enim certo argumento continebatur, et una eademque idea totum poema cum omnibus nugis et salibus procacium deorum complectebatur, quod secus erat apud Romanos, quorum primus argumento fabulam composuit Livius Andronicus. Casauboni commentatorem in errorem induxit quod paulo post a Livio commemoratur, Saturas ab Atellanis, quas argumento doctas esse et ego non negabo, exceptas, diu in honore fuisse; sed Atellanae non erant illae Saturae, quas auctor noster

cum fabula vera comparans „risum et iocum solutum" nominat. Si quis Saturas scenicas Romanorum cum Graeco instituto componere velit, non inique fortasse adhibeantur Dicelistae Spartanorum, de quibus v. Muellerum l. l. p. 343.

Ita res scenicae se habebant, quum Livius Andronicus Graecorum more fabulas Romae docere incoepit. Priusquam autem de eius meritis dicam, investigandum videtur, quo antiqua Romanorum ludicra abierint, partim ut illud, quod verius quam cetera inventa in rebus scenicis Romano ingenio tribuatur, uno conspectu comprehendatur, partim, ut ita magis appareat, quo animo hic populus peregrinam artem susceperit. — Quum primas Romani iustas fabulas spectaverant, iuvenibus res a peregrino servo incoepta, tantopere discrepare visa est ab institutis suis avitis, ut infra dignitatem suam habentes ad haec Graeca dramata accedere, servarent antiquos suos ludos, atque hos ad aliquam perfectionem adducerent assumptis Atellanis, ludis scilicet scenicis, qui ab Osca urbe Atella transportati melius conveniebant cum moribus antiquorum Romanorum. Aborigines enim ipsosque Latinos natione Opica fuisse Niebuhrius in Hist. Rom. I. p. 65 — 89. egregie docuit, et non solum narrationes veterum auctorum originem Oscam Romanorum probant, sed etiam ipsa lingua Latina in radicibus verborum ex Graecia non delatorum, et in ea etymologiae parte quae cum Graeca non consentit, Oscam satis resipit. Atellanas itaque fabulas, ex Ausonum et priscorum Italiae populorum ludis nulla adiuvante peregrina ope ortas, Romani iuvenes Graecae arti praferebant, quod ingenium suum

in illis reperiebant, et his recipiendis suam rem a cognatis Oscis, qui diutius quam ipsi pace et quiete per illa saecula fruebantur, excultam sibi vindicabant.

Ex Livii et Valerii Maximi locis citatis non pro certo statui potest Oscos ludos post Andronicum Romam pervenisse, sed tamen sententiarum nexus apud utrumque hoc docere videtur: ita enim Livius narrata Graecae fabulae origine pergit: „Postquam lege hac fabularum ab risu ac soluto ioco res avocabatur, et ludus in artem paulatim verterat; iuventus, histrionibus fabellarum actu relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus iactitare coepit: quae inde exodia postea appellata, consertaque fabellis potissimum Atellanis sunt. Quod genus ludorum ab Oscis acceptum tenuit iuventus, nec ab histrionibus pollui passa est.". Quod dixi ex hoc loco satis liquere videtur, et multi itaque anni intercedere potuerunt, donec Romani, qui initio redierant ad Fescenninos et iocosas Saturas, sentientes, suos ludos comparata arte Andronici nimis rudes esse, Oscum genus ludorum arriperent, quod non tantopere distabat a Graecae poesis iucunditate, ab altera autem parte temperatum erat Italica severitate. V. Val. Max. l. c. — In loco Livii plura ambigua sunt: *τὸ* inde a Drakenborchio receptum delendum esse reor, quum in multis codd. melioris notae desit, et ad sensum aut nil addat, aut valde eum turbet. In iactando enim versus ludicros causa nulla est, quare exodia nominentur; et si inde ad sequentia refers, tum aut *τῷ* postea iam continetur *τὸ* inde, aut hoc prorsus tollit illud, quod omnium codicum auctoritate defensum expungi nequit.

De exodiis magna lis fuit, eo praecipue orta, quod qui de iis dissererent, latiorem huius vocis significationem non satis distinguerent ab artiore. Exodia, de quibus Livius loquitur, Atellanas non esse, ita ut pro Atellanis exodia poni possint, ex allatis verbis manifestum est: ridiculos iocos antiquos exodia appellatos, et postea in Atellanos susceptos esse, ita ut Atellanis multa exodia consererentur, sensus est verborum Livii, nisi forte quis obstinato animo aliam sententiam extorquere vult. Eodem sensu exodium usurpavit Suetonius in Tib. c. 45: „Unde nota in Atellanico exodio proximis ludis assensu maximo excepta percrebuit:" etc. et in Domit. c. 10: „Occidit et Helvidium filium (Junii Rustici), quasi scenico exodio, sub persona Paridis et Oenones divortium suum cum uxore taxasset." Adde Juvenal. Sat. VI. v. 71:

Urbicus exodio risum movet Atellanae.

Cfr. Sueton. Calig. c. 27. Ut in his locis singula dicteria sive sales exodia audiunt, ita postea quodcunque facete et acute etiam extra theatrum dictum, exodium vocabatur. Hieronym. ad Gaudent. Ep. 12: „Secundum praeclari oratoris exodium, spes in ea (infantula) magis laudanda sit, quam res." Recte itaque Sigonius ad Livii locum exodia comparat cum episodiis, de quibus Suidas: *Ἐπεισόδιον τὸ εἰσφερόμενον τῷ δράματι γέλωτος χάριν, ἔξω τῆς ὑποθέσεως ὄν.* Illa episodia neque certa quadam species dramatum erant, neque uni tantum dramati inserebantur, qua libertate etiam exodia utebantur, quod Livius significat τῷ potissimum, et alii aperte docent. Plerique recentiorum, qui de exodiis sermonem faciunt, permoti vocis etymologia et exodis Graecarum fabularum, sta-

tuunt, exodia esse ioca in fine fabularum fundi solita, secuti Jos. Scaligerum ad Manil. V. 145, (ed. Scalig. p. 113, v. 24.), qui multa huc spectantia contulit, sed res tantopere confudit, ut Salmasius ad Vopisci Aurel. c. 42, merito dicat, Scaligerum hic non esse Scaligerum. De Graecis exodis hic minime cogitandum est, tum enim Livii verba prorsus sensu carent, quod cum Salmasio iam alii viderunt, quorum sententias Drakenb. ad l. l. retulit. Non minus autem falsa videri debet opinio, qua prima illa exodia post actam fabulam quasi additamentum accessisse volunt, quo argumentum fabulae antecedentis in risum versum sit, ita ut cum dramate Satyrico Graecorum componi possint. Hanc sententiam defendit Casaubonus de Sat. Rom. II. 1, p. 184, verbis antiqui Schol. Juv. ad Sat. III. 175: „Exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret, ut quidquid lacrimarum atque tristitiae coegissent ex tragicis affectibus huius spectaculi risus detergerent." Recte quidem grammaticus, si vero Juvenalis locum his explicari putavit, fefellit eum opinio, et utinam Casaubonus non confudisset Juvenalis et Scholiastae exodia. Juvenalis ita:

Ipsa dierum
Festorum herboso colitur si quando theatro
Maiestas: tandemque redit ad pulpita notum
Exodium, quum personae pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans:

Poeta exodio significat antiquos iocos et risus, qui postea in Atellanas inferebantur, non autem Atellanas ipsas, et multo minus Exodia illa de quibus Scholiastes disserit, quae ab Atellanis procul absunt. Res meo iudicio sic expedienda est: Quum iuvenes Romani ad

Atellanas omne studium conferrent, missosque singulos iocos, illa exodia, vel in componendis fabulis assererent, vel in agendis ex tempore funderent, ita tamen, ut fabularum nexus non turbaretur; spectatores, qui rudes artisque expertes ea voluptate, quam Graeci ex theatris capiebant, spectaculis interesse non didicerant, suos apinarios desiderabant. Voluntati populi gratificati esse videntur Mimi atque Planipedes, qui vice iuvenum, Atellanas iam agentium, functi, tunc inter actus fabulae et post doctam, iocos incompositos ediderunt. Proxima post Livium Andronicum aetate, qua histriones et iuvenes Romani soli scena potiti erant, hoc factum esse nequit, quod tum omnia simpliciore modo agebantur, quique histriones idem Mimi erant. Sed mimica saltatio ab initio prae ceteris scenicis artibus Romanis admodum placuisse videtur, ut iam inter bella Punica spectando Mimos contenti non essent, sed ipsi saltationi maximam operam darent, pueros que suos in ludum saltatorium mitterent. Liceat transcribere Macrobii Sat. II. 10. locum locupletem de arte saltandi, ex quo optime conspicitur, quo tempore iam deflecti de antiqua simplicitate coeptum sit studium Romanorum: „Nobilium vero filios, et quod dictu nefas est, filias quoque virgines inter studiosa (?) numerasse saltandi meditationem testis est Scipio Africanus Aemilianus, qui in oratione contra legem iudiciariam Ti. Grachi sic ait: docentur praestigias inhonestas: cum cinaedulis et sambuca psalterioque eunt in ludum histrionum, discunt cantare: quae maiores nostri ingenuis probro ducier voluerunt. Eunt, inquam, in ludum saltatorium inter cinaedos virgines puerique ingenui. Haec quum mihi quisquam narra-

bat, non poteram animum inducere, ea liberos suos homines nobiles docere; sed quum ductus sum in ludum saltatorium, plus, medius fidius, in eo ludo vidi pueris virginibusque quingentis, in his unum (quo me reipublicae maxime misertum est) puerum bullatum, petitoris filium, non minorem annis duodecim cum crotalis saltare: quam saltationem impudicus servulus honeste saltare non posset.“ Macrobius deinde laudat M. Catonis verba in Caecilium senatorem non ignobilem, quem spatiatorem et Fescenninum Cato appellasset, sic eum denotans: „Descendit de cantherio, inde staticulos dare, ridicularia fundere;“ et alibi in eundem: „Praeterea cantat, ubi collibuit, interdum Graecos versus agit, iocos dicit, voces demutat, staticulos dat.“ En, quum tanto furore Africani temporibus et iam ante eum, ut dicit Macrobius eodem loco, saltationem Romani arriperent, mirum non videbitur, eos prae ceteris delectantes Mimos etiam extra fabulam spectare voluisse, hosque, omnium applausu excitatos, proprios suos ludos more iuvenum Romanorum instituisse. Hi ludi initio, quum Mimi ab histrionibus nondum separati agebant, exodia erant, postea vero et ipsi accreverunt ad drama continuum, scilicet mimicum. Eodem modo etiam alii ludiones, prout plus minusve placebant, suo periculo spectacula populo edere coeperunt, quum initio in comoediis aut tragoediis modo cernerentur; cui rei quaedam species ludorum Romanorum originem debere videntur. Illa autem revera ita se habere docet Diomedes III. p. 489. ed. Putsch.: „Primis autem temporibus omnia quae in scena versantur, in comoedia agebantur, nam Pantomimus, Pythaules et Choraules in comoedia ca-

nebant. Sed quia non poterant omnia simul apud omnes artifices pariter excellere, si qui erant inter actores comoediarum pro facultate et arte potiores, principatum sibi artificii vindicabant. Sic factum est, ut, nolentibus cedere Mimis in artificio suo ceteris, separatio fieret reliquorum; nam dum potiores inferioribus, qui in omni ergasterio erant, servire dedignabantur, se ipsos a comoedia separarunt." Hac igitur ratione mimicum drama instituebatur. Illi autem Mimorum et Planipedum [1]), qui praestantiam ceterorum non assequebantur, pergebant exodia sibi vindicare, quae a potioribus iam mittebantur, ita nt dehinc duo genera Mimorum Romae spectarentur. Testis est Plutarchus in Symp. VII. 8, ubi a quibusdam Mimis Romanis [2]) *ὑποθέσεις*, ab aliis *παίγνια* agi dicit; illis dramata tribuit, *παίγνια* autem nominat *πολλῆς γέμοντα βωμολοχίας καὶ σπερμολογίας*. Inter fabularum actus iocos et dicteria iactata esse a Mimis et Planipedibus primum conieci ex Planipedum nomine, quod, quamquam non eandem omnes sequuntur derivationem, tamen ad spectacula extra scenam instituta procul dubio respicit. Cfr. Donatum de Com., et Trag. Diomed. III. 487., Fest. v. Orchestra. Deinde in Attae Togatis tales quos descripsi Planipedes Exodiarios fuisse, testatur Diomedes l. l. Mimorum nomen, quo *στιχο-*

---

[1]) Differunt quidem inter se Mimi et Planipediae, quod alio loco, de variis generibus dramatum Romanorum disputaturus, quem nunc adiungere temporis angustiis prohibeor, docebo; ubi vero de exodiis sermo est, eandem rationem utrique sequuntur.

[2]) Plutarchum de Romanis Mimis loqui, sententiarum nexus docet.

λόγους eos vocabant, huc trahere pro argumento nolo, quod de ipsis res certius demonstratur loco Donati in libr. de Com. et Trag., ubi explicans quid sit aulaeum et siparium, scribit: „Est autem mimicum velum quod populo obsistit, dum fabularum actus commutantur." Velum hoc mimicum propterea appellari, quod Mimi ante hoc exodia agerent iam alii viderunt. Cfr. Ziegler. l. l. p. 8. In eadem Dissertatione Donatus iocos, qui inter actus risum ciebant, compitalitia ludicra nominat, quibus „admisto pronuntiationis modulo, dum actus commutarentur, populus detentus sit." Haec omnia in suam rem convertere poterat Hermannus, quum Boettigeri sententiam, in Diss. de quattuor aetatibus rei scenicae apud veteres, p. 15. propositam finito quoque actu actorem primarium ad tibiam saltando spectatores oblectasse, docte refelleret, disputans de Cant. in Rom. fab. Opusc. Tom. I. p. 290, sqq. Postquam vero illis iocis ex tempore fusis Mimi et Planipedes spectatores oblectare coeperant, tum etiam exodiorum nomen ab Atellanis, qui, si Lydi de Mag. Rom. I. 140. loco corrupto fidem habere possumus, initio etiam Exodiarii dicebantur, ad illos migravit, et ut exodium facete et scurrile dictum, ita Exodiarius, sannionem, scurram scenicum, apinarium, taxatorem (Festus v. Taxat.) generali appellatione significabat. Hi Exodiarii ii erant, quos Juvenalis Scholiastes memorat. Quod itaque ille dicit, in fine fabularum spectatos esse Exodiarios, non ita interpretari possumus, ut iocationes suas certo argumento, simili argumentis dramatum Satyricorum, ad actam fabulam retulisse dicantur: poterant quidem fabulam et actores cavillari, sed ad notionem propriam Exodiariorum haec non pertinebant. Exodia denique

fabula finita coepisse ex vocabuli etymo demonstrari non posse docuit Salmasius ad Vopisc. l. l. et. ex Livii verbis manifestum est. Neque vero negaverim Exodiarios post actam fabulam praecipue locum habuisse, et hac ratione fieri potuisse existimo, ut de nominis derivatione etiam grammatici Romani in errorem inducerentur.

Sed revertor ad Atellanas. Vidimus et has fabulas, quae prae ceteris Romanae merito dicuntur, a Romanis inventas non esse [1]). Nescio utrum severitati et superbiae Romanorum, an potius imperitiae artis et inopiae felicis ingenii tribuam, quod quum Atellanas ab institutis suis non magnopere discrepantes susciperent, illud quod forte peregrinum et alienum inesset, non sustulerunt. Per longum enim tempus tenuisse videntur linguam et personas Oscas. Zieglerus l. l. aliique semper hoc factum esse sine ullo dubitationis scrupulo statuunt, et ne ullum quidem argumentum proferunt, quo hanc rem, scilicet certam, probent. Sequuntur, ni fallor, G. Vofsium, qui in Inst. Poet. II. 35. quaedam huius sententiae haud spernenda contulit testimonia. Sed paulo acrius examen instituendum esse iudico. Primum, quod ad genus Atellanarum pertinent adscribendae sunt comoediis, licet quidam, decepti fortasse Valerii Maximi verbis, ob severitatem tragoediis eas adnumerare voluerunt. Valerius, si quid video, hoc certe non credidit, contrarium vero, quod cum Vofsio et ego statuo, apparet

[1]) Atella oppidum Oscorum erat in Campania inter Capuam et Neapolin, cuius Livius saepius mentionem facit. Lil. Gyraldus II. 329. C. vulgo existimari ait, urbem ibi sitam esse, quo nunc Avensa.

ex Livii loco, et claris verbis idem dicit Donatus l. l. „Comoedia autem multas species habet: aut enim Palliata, aut Togata, aut Tabernaria, aut Atellana“ etc.; et paulo post: „Comoediarum formae sunt tres: Palliatae — Togatae — Attellanae salibus et iocis compositae, quae in se non habent, nisi vetustam elegantiam.“ Sed quid attinet pluribus demonstrare, quod apertissimum est, et quod, si cui dubitatio inhaereat, sequentibus luce clarius fiet.

Argumentum quoddam Atellanarum iocos continuisse vel eam ob causam statuendum est, quod Atellanae et fabulae nominantur, et iustis fabulis ab omnibus (v. c. a Donato et Diomede) annumerantur. Sed poetas non valde curasse opinor in Atellanis scribendis regulas a Graecis traditas, quamquam pro certo hoc venditare non ausim cum Petisco, qui in Lect. Ant. Tom. I. p. 195. de Mimis dis erens, Atellanas quidem in quinque actus divisas, sed non ea arte distributas, qua reliquae fabulae et magis incompositas fuisse contendit. Velim scire, unde hoc cognoverit; ceteri qui ipsi assentiuntur, testimonium afferunt Diomedis III. 437., sed ibi neque de actibus Atellanarum, neque de negligentia compositionis quidquam legitur. Refert enim grammaticus: „Tertia species est fabularum Latinarum, quae a civitate Oscorum Atella, in qua primum coeptae, Atellanae dictae sunt, argumentis dictisque iocularibus, similes Satyricis fabulis Graecis.“ — Quod autem me commovit, ut non ad omnes artis regulas Atellanas conscriptas suspicarer, hoc est: Primum a Graecis acceptae non erant, et Romani Graecos histriones manus suas illis admovere nunquam patiebantur (Livius); deinde exo-

diis scatebant, ut Livius adeo exodia Atellanis conserta esse dicat (conserta enim omnes codd. exhibent, neque legendum est, Atellanae consitae exodiis); et denique, quod in ceteris fabulis minus invenies, Atellanae saepe ludi Osci et ludicra Osca audiunt. Cfr. Cic. ad fam. VII. 1., Tacit. Annal. IV. 14. et J. Lipsium a. h. l. Argumentum ipsum, ut in Togatis Latinum, in Palliatis Graecum, sic in Atellanis Oscum fuisse fertur, quae opinio vulgaris recentiorum, et nomine ludorum Oscorum, et certis testimoniis veterum scriptorum firmatur. Diomed. III. 488: „Latina Atellana a Graeca Satyrica differt, quod in Satyrica fere Satyrorum personae inducuntur, aut si quae sunt ridiculae similes Satyris, Autolycus, Burris. In Atellanis Oscae personae, ut Maccus." Praeter personas et Oscam linguam adhibitam esse narrat Strabo. V. 3, 6: *Ἴδιον δέ τι τοῖς Ὄσκοις καὶ τῷ τῶν Αὐσόνων ἔθνει συμβέβηκε· τῶν μὲν γὰρ Ὄσκων ἐκλελοιπότων, ἡ διάλεκτος μένει παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις· ὥστε ποιήματα σκηνοβατεῖσθαι κατά τινα ἀγῶνα πάτριον καὶ μιμολογεῖσθαι.* Huc etiam duci potest versus Titinii apud Festum, fortasse ad eludendos Atellanos scriptus, quo „Osce et Volsce eos fabulari" dicit, quod Latine nescirent. Fidem habeo his testimoniis, ut plerumque argumentum Oscum fuisse credam, sed auctores Atellanarum ab hac regula nunquam cessisse, in animum mihi inducere nequeo. Ex servatis titulis fabularum Afranii, Dosseni, Novii, ceterorumque Atellanarum scriptorum pro alterutra opinione fere nil afferre licet, quod pauci modo extant, quos Atellanarum titulos esse certum sit: ediderunt enim omnes illi Togatas quoque aliasque fabulas, ut, nisi diserte

additum sit, aliquam fabulam Atellanam esse, merito dubitetur, cui speciei quaeque tribuatur *). Et nescio quomodo factum sit, ut conspirasse videantur veteres ad indagantis laborem vexandum: Suetonius enim, Priscianus, Charisius, alii, qui ex illorum poetarum Atellanis versus laudant, speciem modo fabularum significant, omisso nomine, quo quaeque inscripta erat. Gellius quaedam nomina apposuit, et inter alia in Noct. Att. XVI. 6. citat Pomponii Bononiensis Gallos Transalpinos, quam fabulam Atellanam esse docet sententiarum nexus. At huius argumentum procul dubio Gallos continebat. Deinde, quum ex nomine ludorum Oscorum coniecimus argumentum Atellanarum Oscum esse, nil impedit, quin generale argumentum Latinum ipsis demus auctoritate Diomedis, qui Latinas fabulas eas appellat. Si vero Diomedem nostras fabulas ita modo Latinas dicere putas, ut a Graecis distinguantur, memento, etiam contrarium argumentum non firmioribus stare talis: Osci enim ludi nominari poterant propter solam originem. In fragmento denique Titinii cum Oscis Volsci quoque nominantur, et Strabo Ausones addit, ludumque *πάτριόν τινα ἀγῶνα* apellat. — Quod de lingua Osca idem affirmat, sane haud spernendum est testimonium, quo tamen probari nequit, Atellanos mera Oscorum lingua usos esse. Hoc enim Strabo non dicit, neque quidquam eius verbis detrahimus, statuendo, Atellanos non raro Oscam linguam adhibuisse: et sic vere res se ha-

*) C. E. Schoberus hoc non satis observavit in diss. germ. de ludis Atellanis Romanorum Lips. 1825., quem librum perfecto demum meo conspexi.

bet. Suspicionem Latinae linguae iam iniiciunt exodia illa Romana apud Livium; omnem vero litem dirimunt fragmenta Atellanarum, quae omnia, quotquot vidi, lingua Latina conscripta sunt. Quod quum argumentum sit, hanc linguam non exulasse ab Atellanis, tamen non prorsus excludit Oscam; qui enim versus quosdam ex his fabulis nobis tradiderunt, fere grammatici sunt, qui Latina modo exscripserunt, ut alicuius verbi aut constructionis Latinae usum comprobarent. Sed afferam tibi, ut ipse iudicare possis, quaedam fragmenta, quae certe in Atellanis legebantur. Charisius I. p. 118. v. Testu laudat ex Mummii Atellana: „Junius ad spectacula est videre in testu, quantum sit caput." Ex Gallis Transalpinis Pomponii Gellius: „Mars tibi foveo facturum, si unquam redierit, bidenti verre." Ex eiusdem „Atellana quae Maevia scribitur" Gellius N. A. X. 24: „Dies hic sextus, quum nihil egi: die quarte moriar fame." Idem in „fabula Atellana, quae inscripta est Aeditumus," scripsit teste Gellio N. A. XII. 10. „Qui postquam tibi appareo atque aeditumor in templo tuo." Cfr. Gell. N. A. XVIII. 6. Atellanos praeterea ne Latinam quidem linguam religiose observasse, sed Graecos quoque versus fabulis suis inseruisse, vidi ex Suetonii loco mox afferendo. — Haec omnia me commovent, ut magnam saltem partem in Atellanis linguam Latinam usurpatam esse contendam, neque dubitem, quin argumenta non ab Oscis solis, sed etiam ab aliis vicinis populis et ab ipsis antiquis Romanis, praecipue rusticis, petita sint. Ita artius coniunguntur cum priscis Romanorum ludis, cum quibus magis cohaerent, quam vulgo conceditur, et ita prae-

cipue, quod vere Romanum erat, servare poterant, „nulla arte Graeca pollutum." Argumentum Romanum tractantes propius accedebant ad Tabernariam Atellanae, sed ita, ut magis incompositae essent, et antiquos rusticosque mores referrent, et non recederent ab Italica severitate, cum qua simplicitatem quoque diutius tenuisse videntur, quam ceterae fabulae, quae luxuria temporum corruptae voluptatem ab auribus ad oculos revocabant. Haec est sententia Valerii Maximi l. c. idemque voluit Donatus, quum sales et iocos Atellanarum non habere diceret, „nisi vetustam elegantiam," denique fortasse in eundem sensum harum fabularum actores ἀρχαιολόγοι dicebantur.

Atellanae semper ut veri Romani ludi secernebantur ab omnibus, qui Graeco more instituti erant, itaque etiam a Togatis et Tabernariis, quae in comparando cum illis aeque Graecae dici poterant ac Palliatae; cfr. Petron. 53, et Cic. ad Fam. XI. 1, quo loco, mentione facta Graecorum ludorum, Oscos dicit suo tempore in senatu Romano spectari posse. Prae ceteris itaque Atellanae quodcunque Romanum erat in usum suum convertisse videntur, more theatrorum nostrorum, quae in fabulis urbis eius in qua docentur mores iocose describentibus, quas vulgo Localpossen dicunt, sales tritos omnibusque notos fundunt, et carmina si quae sunt vulgaria, aut recens composita, vulgaribus modis canenda, inserunt [1]). Cum notione Atellanarum haec bene conveniunt, et ni magnopere fallor, Suetonium adeo testem laudare licet, qui in

---

[1]) Hoc Berolini praecipue fit in theatro, quod iacet in antiqua urbis parte.

vita Galbae c. 13. huiusmodi vulgati carminis initium memoriae prodidit: „Quare adventus eius, refert de Galba, non perinde gratus fuit: idque proximo spectaculo apparuit. Siquidem Atellanis notissimum canticum exorsis, „Venit io Simus a villa," cuncti simul spectatores consentiente voce reliquam partem retulerunt, ac saepius versu repetito egerunt." Huc pertinent proverbia quoque, omniaque facete et salse dicta antiqua, quae antea in lusibus pastoritiis, tunc vero in Atellanis, quae potissimum exodia assumserant, iactabantur, permixta iocis Oscis, et dicteriis, proverbiis et canticis inde petitis. Salibus mordacibus et ambiguis iocis deinde, ratione Fescenninorum (Hor. Epp. II. 1, 145, sqq.) saepe petebant principes reipublicae, neque ipsis imperatoribus parcebant; cuius rei quum plura extent exempla, sufficiat unum attulisse, ex quo etiam alia ad Atellanas spectantia colligantur. Sueton. Nero. 39: „Datus Atellanarum histrio, in cantico quodam, *ὑγίαινε. πάτερ, ὑγίαινε μῆτερ,* ita monstraverat (praesente Nerone) ut bibentem natantemque faceret, exitum C. Claudii, Agrippinaeque significans: et in novissima clausula," Orcus vobis ducit pedes, „senatum gestu notaret." Artis mimicae Atellani itaque haud imperiti esse debebant, quo fit, ut in agendis fabulis rusticitatem liquisse, lususque suos ingenio temporum accomodasse videantur, edocti a Graecis histrionibus. Proximis post Livium Andronicum saeculis mutationis cuiusdam indicia non inveniuntur, postea autem, Atellanis diu iacentibus a Mummio de novo excitatis (Macrob. Sat. I. 10.), quum circa Ciceronis aetatem et sub primis Caesaribus antiqua iura Atellanorum ceteris histrionibus cedebantur, et quum,

luxuria atque libidine omnibus confusis, cives Romani nobilesque viri nulla in re antiquam dignitatem servantes, primum coacti (Macrob. l. c.) deinde sua sponte in scenam prodibant, et imperatores Mimos „quasi graves in arte adversarios" necabant (Sueton. Nero. 54.): tum etiam Atellani, licet nomen tenerent, magisque quam ceteri instituta antiqua tuerentur, priscam tamen simplicitatem et veram suam vim missam faciebant. Praeterea non puto, post Augustum quemquam Atellanas, quales initio erant, spectare voluisse; Ciceronis aetate, quum ad Mimos elegantiores omnis voluptas transire inciperet, illae magis magisque neglectae et a theatris remotae videntur, cuius rei indicium extat apud Ciceronem, qui ad Paetum (Epp. ad Fam. IX. 16.) scribit: „Nunc venio ad iocationes tuas, quum tu, secundum Oenomaum Accii, non ut olim solebat, Atellanum, sed ut nunc fit Mimum introduxisti."

Praeter ea, quae memoravi, praecipue eo differebant Atellanae a ceteris fabulis, quod per longum tempus a solis iuvenibus Romanis agebantur, qui, ut ipsi ad Caesarem usque in ludis Graecorum histrionum non prodibant, suas fabulas ab illis pollui non patiebantur. Non video, qua re permotus Niebuhrius in H. R. Tom. I. p. 543. not. 1078. contra manifestissima Livii et Valerii Maximi testimonia, inciderit in opinionem, non Atellanas solas sed etiam Praetextatas et Togatas a civibus Romanis sine nota agi potuisse et acta esse. Nisi aliis, mihi ignotis, documentis, quam quod argumenta domestica in Praetextatis et Togatis tractarentur, ad illam hypothesin perductus est, cum ipso facere nequeo. Atellanae enim non propter res Italicas, spectatoribus propositas, infamia vacabant, sed quod

eas Romani proprios ludos a maioribus traditos habebant, quod de ceteris dramatis Romanis dici non potest. Exceptis Atellanarum actoribus omnes histriones tantopere despiciebantur, ut liberi Romani ne consuetudinem quidem cum illis sine macula habere possent (Macrob. l. c.), et cum istis in Togatis prodisse credamus? Peregrinos enim histriones et Togatas et Praetextatas egisse certum est. Ciceronis quidem aetate artem pluris aestimare illos didicerant Romani, sed et tum, quum summorum virorum amicitia Roscium honestum virum reddiderat, universus tamen ordo contemptui erat, ut orator Roscium inter ludiones spectari saepius conqueratur. V. Or. pro Rosc. Am. et Quinct. pluribus locis. Quanto dedecori eodem tempore habitum sit, si quis praeter Atellanas fabulam ageret, docet egregii Laberii prologus, in quo dolorem de dignitate perdita promit, quum a Caesare provocatus cogeretur, ut ipse Mimum suum ageret. Macrob. Sat. II. 3, cfr. VII. 3. [1]). Livius et Valerius denique apertis verbis confirmant, iuvenes Romanos solas Atellanas sibi vindicasse, ceteras fabulas reliquisse peregrinis histrionibus, et solas Attellanas nota vacuas esse, illarumque actores „neque a tribu moveri neque a militaribus stipendiis repelli.“ Viro illustri fortasse in mentem venerat locus Festi, v. Personata, supra allatus, ex quo revera Atellanos, cives itaque Romanos, quondam Togatas egisse concludere possumus. At ex verbis Festi perspicuum est, eum hoc non pro certo statuere velle; sed ponamus, iuvenes Romanos „inopia peregrinorum hi-

[1]) Receptus est praeclarus ille prologus etiam in Hist. Poes. Mim. Lips. 1787.

strionum" illam Naevii Togatam egisse, res tamen profecto inaudita esse debebat, quum auctor ipse iudicet, fabulam Naevii inde nomen insolitum accepisse. Utcunque est, usus is certe non fuit, ut cives Romani in reliquis fabulis prodirent, antequam honos perisset et castitas, ut ait Cicero ad Fam. VII. 1. Contra nonnullorum opinionem et illud monendum videtur, non quemcunque Romanum ut voluptas ferebat in Atellanis prodisse, sed exercitatos ad id ipsum histriones; quod quum ex Livii loco iam coniicere possimus, manifestum fit verbis Suetonii, in Ner. 39.

Postquam hucusque fere omnia attuli, quae ex veteribus auctoribus de natura Atellanarum erui possunt, reliquum est, ut ad sententiam quorumdam recentiorum, qui has fabulas aequales et similes esse dixerunt Dramati Graecorum Satyrico, paucis illustrandam accedam, eoque propensiore animo me hanc quaestionem retractare fateor, quo magis spero fore, ut, comparatione instituta et quibusdam additis, quae supra omittenda videbantur, propriam Atellanarum rationem certius perspiciamus. Judicii sui omnes auctorem laudant Diomedem, l. c. scribentem: „Atellanae — argumentis dictisque iocularibus, similes Satyricis fabulis Graecis." Praeter hunc locum etiam in auxilium vocare poterant Athenaeum (VI. c. 17, p. 566. ed. Schweigh.) qui, ex Nicolao historiographo tradens, Sullam maximam voluptatem cepisse ex Mimis et sannionibus, addit: *ἐμφανίζουσι δ' αὐτοῦ τὸ περὶ ταῦτα ἱλαρὸν αἱ ὑπ' αὐτοῦ γραφεῖσαι σατυρικαὶ κωμῳδίαι τῇ πατρίῳ φωνῇ*, ubi de Atellanis sermonem esse, recte adnotaverunt interpretes. Denique et Marius Victorinus fortasse momentum habet in hac quae-

stione (v. lib. II. de Metris, p. 2527): „Superest Satyricum (genus trim. acatal.) quod inter tragicum et comicum stilum medium est. Haec apud Graecos metri species frequens est, sub hac conditionis lege, ut non heroes aut reges, sed Satyros inducat, ludendi iocandique causa, quo spectatoris animus inter tristes res tragicas Satyrorum iocis et lusibus relaxetur, quod Horatius his versibus testatur: „Carmine qui tragico cet.“ — Quod genus nostri in Atellanis habent. Gaudent autem trisyllabo pede et maxime tribracho. cet.“ — De Atellanarum metro iterum agit lib. III. p. 2574., tetram. iamb. catal. ipsis tribuens. Cfr. Plotium de Metris p. 2646. Haec autem testimonia nemini persuadebunt, Atellanas similes fuisse Satyricis dramatis, exceptis iis, qui solo Diomedis loco rem abunde demonstratam iudicant. Inveniuntur certe in utraque dramatis specie quaedam similia, quae et Diomedem, more grammaticorum circumspicientem, cui potissimum poemati Graeco Atellanas compararet, in illam sententiam induxerunt. Diomedi et Mario tertium illud quod dicunt comparationis, argumenta et dicta iocularia fuerunt; et hanc similitudinem neque ego negandam puto, existimans, Satyrica dramata iocorum genere propius ad Atellanas, quam ad Mimos et comoediam accessisse. Ceterum illa quae inter tragoediam et comoediam media erant, etiam castitate hanc et Mimos superasse mihi videntur, Euripidisque Cyclops, quae sola ex hoc genere aetatem nostram tulit, quamquam obscoenitate non caret, tamen temperatur Ulyssis persona, et ipsi Satyri gratae potius voluptati quam libidini dediti sunt. Huic temperantiae bene respondet Italica gravitas Atellanarum. Pari modo deinde Atellanae

et Satyrica dramata originem debent ludis agricolarum; cfr. Thiersch. ad Pind. l. l. Tum in his semper apparent Satyri, in illis plerumque idem personarum genus; Satyri, numina ruralia, per omnes actus ruri, in montibus, silvis et speluncis versabantur; Atellanas praecipue homines rusticos retulisse supra iam docui. Quod vero ibi generali sententia confirmavi, hic accuratius definiendum et probandum videtur. Personas Oscas in Atellanis prodisse, et quasdam earum in pluribus fabulis easdem mansisse, ut sannio in Italica comoedia dell' arte, et Staberle in comoediis pluribus quae Vindobonae docentur, ex Diomedis loco vidimus. Quaenam autem nomina illarum personarum fuerint, non admodum certum est, nisi quod Maccum ex Diomede novimus, qui diserte Oscam personam esse addit. Plures fabulas Macci nomine inscriptas esse docent Charisius et Nonius pluribus locis, ubi Maccum, Maccum Sequestrem, Maccum sive Machum Militem, Maccum Exulem, Maccos sive Machos Geminos, laudant [1]). Scaliger ad Varronem de L. L. VI. p. 99, ed. Bip. (Adnot. p. 237, sqq.) praeter Maccum Oscas personas fuisse affirmat Manducum, Pappum, Bucconem et Sagarin, Oscis autem has omnes non tribuerim, et ne Atellanis quidem. Varro l. c. in Atellanis obsonium dicit vocari manducum a mandendo et manducando, et nulla causa subest, quae obsonium in personam corrigi iubeat. Ex Pomponii enim fragmento apud Nonium:

Magnus Camillus manducus cantherius,

---

[1]) Maccus sive Machus (fluctuant enim codd.) praecipue Novio accepta persona fuisse videtur; plerique Macci ipsi tribuuntur.

nil prorsus probari potest; nam manducus ibi non personam Atellanae sed devoratorem, gulonem, matticum significat, quod idem adiectivum mansucius ab eadem radice derivatum. Fest. h. v. Manducus deinde, de quo Festus loquitur, effigies erat. V. Plaut. Rud. II. 6, 51. Pappi persona in Atellanis adhibebatur, teste Nonio, qui Pomponium et Novium laudat in Pappo Agricola, Pappo praeterito, Hermia Pappi, quibus fortasse addere licet Sponsam Pappi. V. Non. v. Assentio. Fabulas illas Atellanas esse dubitari nequit, quum Pomponius et Novius auctores illarum ferantur, et teste Varrone senex in Atellanis pappus diceretur. Bucco convicium rusticum fuisse videtur, significans sive hominem a crebra inflatione amplas buccas habentem (v. Gessn. Thes.) sive stultum, stupidum, fatuum (Plaut. Bach. V. 1, 2.). Sed et nomen proprium personarum in fabulis erat; laudatur enim a Nonio Bucco Adoptatus, Bucco Authoratus [1]), et in lexico Latino Graeco: Buccones sunt παράσιτοι (cfr. Gessn. Thes.). Bucconem personam Oscam fuisse, fortasse defendi potest loco Apuleii in Apolog. p. 525. ed. Elmenhorstii, ubi cum Macco coniungitur. „Omnes isti, quos nominavi (Palamedes, Sisyphus, fallaces et versipelles), et si qui praeterea fuerunt dolo memorandi, si cum hac una Rufini fallacia contendantur, Macci prorsus et Buccones videbuntur." Dubitationem et hoc testimonium admittit, et non video, quo iure ulla nominatarum personarum praeter Mac-

[1]) Incertum est, an haec eadem fabula fuerit cum Auctorato, quam Nonius non adiecto Bucconis nomine bis laudat.

cum Osca dicatur; Sagaris enim ne eam quidem auctoritatem quam reliquae habet. Sententiam autem meam de Atellanis hae personae quoque, undecunque desumptae fuere, egregie defendunt; ludi enim, antiquorum rusticorum mores describentes Macco, Buccone et Pappo vix carere poterant. Accedunt quidam Varronis loci, in quibus pronuntiationem aut vocabulum vetustum Latinum laudans, dicit rusticos in Atellanis ita loqui: v. c. VI. p. 96: „In Atellanis licet animadvertere rusticos dicere, se adduxisse pro scorto pelliculam," et p. 99. „a quo rustici pappum mesum non maesum" (ita Scalig.), quum ante in Atellanis senem pappum dici memorasset. Simus quoque ille, quem apud Suetonium Atellani a villa venire cantabant, rusticus est simo vultu (Virg. Moreto. 107.), qui et „simulus cultor agri" nominatur (Virg. ibid. 3., cfr. Lucret. IV. 1062.). Manifestum est igitur scenam in Atellanis quemadmodum in Satyris maximam partem agrum proposuisse. — An choro Satyrorum similem chorum agricolarum Atellanae habuerint, ex unico Suetonii loco (Ner. 39.) mihi non satis liquere videtur, quamquam Hermanno (de Cant. Rom. l. l.) ita placuit. Satyri denique post tragoediam prodibant, idemque Atellanos non raro fecisse supra concessi, et probatum vidimus Ciceronis verbis ad Fam. IX. 16. — Haec autem omnia quae attuli ad externam potius conditionem utriusque fabularum speciei pertinent, quam ad naturae aequalitatem, quae certe, hoc enim demonstrari posse confido, nulla erat. Quod vero meum non esse iudico, hoc loco recoquere intricatam de natura et fine dramatum Satyricorum quaestionem, quam inde a Casaubono usque ad Genthium, novis-

simum de hac re scriptorem, multi, suo quisque modo, tractaverunt: illud solum in discrimen vocabo, quod inter omnes fere convenit, dramatis Satyrici argumenta *μυθικά* esse, personasque tragicas, heroes et reges, quorum fortuna adversa paulo ante spectatorum animus commovisset, hic apparere, humilibus petulantibusque personis comitantibus, in ridiculis et comicis vitae conditionibus, ut, quomodo in vita, sic etiam in theatris severa et iocosa in eorumdem heroum fatis coniuncta videantur. Atellanis contra cum tragoediis nihil quidquam commune erat; argumenta non petebant ex fabulis deorum atque heroum, sed ex vita rustica, et loco Promethei et Ulyssis prodibant Maccus, Bucco, et si qui similes [1]). Et denique, si omnis vis et propria Graeci dramatis natura sita est in personis Satyrorum, ut, iudice Hermanno (Opusc. I. 45, cfr. Welker. in Add. ad Tril. Aeschyl. Frankf. 1826. p. 326.) his sublatis ipsum drama Satyricum tollatur, quo tandem abit illa aequalitas, quum ipse huius comparationis auctor Diomedes III. p. 488. dicat, in eo positam esse utriusque dramatis differentiam?

Hactenus de Atellanis. In omnibus itaque spectaculis scenicis quae Romani proprio magis ingenio instituerunt, in antiquis agricolarum ludis, in Saturis et

[1]) Eichstadius, qui in Diss. de Dram. Graec. Comico-satyrico p. 65. suas Satyras comicas etiam in Atellanis invenit, existimare videtur, Atellanos nonnunquam, tragicos heroes referentes, ludibrio habuisse eorum virtutes, quos tragoedia modo admirandos reddiderit, eandemque fere sententiam sequitur Genthius in Diss. de Satyr. Dram. versioni Germanicae Cyclopis Euripidis praemissa p. 62. Quod vero, quum nullo argumento probari possit, praetermittendum duxi.

in Atellanis, vestigia ruris manifesta sunt. In historia rei scenicae ante Andronicum Romani nobis apparent non abhorrentes quidem a voluptate spectaculorum, sed expertes artis et carentes illo sensu humano Graecorum. Si Romani iuvenes sensissent, in comoediis et tragoediis altiora et homine digniora latere, missa fecissent ioca vanaque oblectamenta, et Atellanae fortasse Romae susceptae non essent. — Sed transeamus iam ad initia artis dramaticae Graecae apud Romanos, et ad eum, qui bellicosum populum primus docuit quaerere:

Quid Sophocles et Thespis et Aeschylus utile ferrent.

Cap. III.

De Livii Andronici vita pauca admodum pro vero et certo statui possunt; tam ambigua sunt rara testimonia de primo Romanorum poeta, quae veterum libris passim inserta reperimus [1]). Eadem fere nebula premit ceterorum poesis Latinae auctorum vitas, ita, ut singula ipsorum fata et causae, quibus ad id potissimum quod excoluerunt genus poematum delati sint, et quae dramata, quando quibusque rebus incitantibus scripserint, multaque alia, quae ad poetarum ingenium cognoscendum, et ad litterarum progresssus perspiciendos mirum quantum faciant, in cognitionem nostram non pervenerint. Incuria hominum tunc viventium incusari solet, qui artes et scientias ipsas

[1]) Praenomen Lucii aut Titi, aut Marii addere non ausim, cfr. Osann. Analec. Crit. p. 20. sqq.

parvi aestimantes non curassent, ut posteris traderent, quanam vitae conditione primi Musarum cultores usi sint, et revera partem aliquam huius iacturae antiquorum Romanorum rudi ingenio debemus: sed generalis illa est querela, et non ad primos Romanos poetas solos, sed ad omnes omnium aetatum et populorum scriptores pertinet. Plurima quae scire cupimus de veterum Graecorum et Romanorum poetarum vitis nos fugiunt, quaedam temporum iniquitas nobis abripuit, multa vero nunquam conscripta fuerunt. Num hoc insitum est humano ingenio, ut quaecunque ingenii opera perfecta sint sibi vindicet quasi *κοινὸν κτῆμα*, et potius quaerat quid sit scriptum, quam a quo et quibus conditionibus?

Post Sagittarium, Funccium aliosque Osannus omnia veterum de Livio Andronico testimonia collegit, et maximam partem bene digessit, quapropter ea sola afferam, in quibus cum viro docto consentire non possum. Primum itaque certum est, Livium natione Graecum fuisse; ab omnibus enim auctoribus Graeci artem dramaticam primi Romam detulisse dicuntur, et Livius primus ille fuit. Dein Tarenti, urbe Graeca, qua etiam tum lingua artesque Graecae florebant, a Romanis captus esse fertur (Cic. Brut. 18, 72.). Cicero hoc scribit testem laudans Attium [1]), fidemque habendam censeo, quamquam orator ipse Attium castigat, quod in expugnatione, qua Q. Fabius Maximus urbem ceperit, Livium captum dicat. Lucio Papirio Cursore et Sp. Carvilio Maximo Coss. secundum Fastos con-

---

[1]) Osann. Atelum nominat; sequor Orellium, in comparationem vocantem c. 64, 229.

sulares Tarentum a Romanis primum captum est u. c. 482. (Ita Petavius). Si hac expugnatione Livium captum ponimus circiter 20 annos natum, quam aetatem ipsi tribuere debemus, quum veri sit simile, eum Tarenti fabulas iam egisse; 51 annos natus primam Romae docuit fabulam, quae ratio non discrepat a Livii historici narratione, qua dicit, vocem illum obtudisse saepius revocatum, idem quod et aliis histrionibus in senectute accidisse traditur. V. Cic. ad Fam. VII. 1. de Legg. I. 4, 11. Probabilior hic calculus fit verbis Catonis Maioris, qui apud Ciceronem de Senect. 14. 50. dicit; „Vidi etiam senem Livium, qui quum sex annis, antequam ego natus sum, fabulam docuisset, Centone Tuditanoque Coss. usque ad adolescentiam meam processit aetate." — Denique nomen Andronici satis originem Graecam comprobat, ut opus non sit aliunde argumenta detorquere, quibus evincatur Graecum fuisse hominem, quod voluisse puto Osannum, qui in libro laudato inde a p. 10. Festi locum, v. Solitaurilia, coniectura sua tentatum in auxilium vocat, quo patriam Livii Graecam esse urbem demonstret. Festi locum, haud leve momentum, in disputatione de meritis primorum poetarum Romanorum, silentio praetermittendum non censeo; itaque apponam: „Solitaurilia nomen antiquae consuetudinis per unum L enuntiari non est mirum, quia nulla tunc geminabatur littera in scribendo: quam consuetudinem Ennius mutavisse fertur, utpote Graecus Graeco more usus, quod illi aeque scribentes ac legentes duplicabant mutas et semivocales et liquidas." Rationes, quibus Osann. pro Ennius commendat Li-

vius, me non inducunt, ut correctionem probem, liceatque afferre, quae mihi visa sunt.

Primum, quare Ennius Graecus dici non potuerit, equidem non intelligo. Ennii patria enim Rudiae, urbs Calabriae, colonia erat Graeca, et licet primi, sive Graecae sive Pelasgicae gentis, qui Calabriam occupaverant, Messapii, Sallentini, Daunii, Peucetii, postea ab Opicis victi videantur, tamen lingua Graeca cum artibus Graeciae semper apud eos viguit, praesertim apud Messapios, qui Rudias incolebant (hic enim populus a promontorio Iapygio usque ad Brundusium pertinuisse videtur), quum a Tarentinis victi aliquo modo his Graecis obnoxii essent. Omnes Japygiae gentes sermone Graeco utebantur, inscriptiones nummorum Graecae erant, cultus artesque Graciae ad omnia adhibebantur, ita tamen, ut et Oscum accederet, quapropter apud Ennium quaedam Osca dicta reperimus. Cfr. Columnam in Vit. Enn. ante eius Fragm. edita: p. 5, sqq. Primus Romanorum exercitus in has regiones pervenit u. c. 447, dein 452, sed eas non subiecit, quum enim anno 458 hi populi foedus inirent cum Agathocle liberi omnino erant ab imperio Romanorum. Niebuhr. H. R. I. p. 159, sqq. Quidni igitur Ennius Graecus appellari poterat, praesertim in loco, quo de scriptura sermo est, quippe quae mutata sit ad usum Graecum, quem Ennius procul dubio sequebatur, quousque in patria viveret? Suetonius rectius vidit, quum in libro de Ill. Gramm. c. 1, semigraecum eum diceret. Si autem inde, quod Suetonius Ennium semigraecum nominet, cum Osanno colligat quispiam, illum apud Festum haudquaquom Graecum dici posse, videat eodem loco, ubi scriptum est: „Initium quoque

eius (grammatices) mediocre extitit: siquidem antiquissimi doctorum, qui iidem et poetae et oratores, semigraeci erant, Livium et Ennium dico, quos utraque lingua domi forisque docuisse adnotum est etc. — etiam Livium semigraecum audire, itaque non maiore iure in Festi textum recipiendum esse, quam Ennium. Non minus temere in discrimen vocantur dictiones, quales, „Pater Ennius," et „Ennius Latini carminis auctor," et aliae, quas passim invenies; quibus quidem demonstrari potest Ennium coluisse et ditasse linguam Latinam, et primum Latine cecinisse quae aetatem ferrent digna, non autem, eum Graecum vocari non potuisse. Ennium deinde eam ob causam ex Festi loco expungendum esse, quod constet, eum litteras non duplicasse, non exputo quo modo probari possit, quum veterum testimonia, quae pro hac re afferuntur, tam obscura sint, ut veritas vix enucleari queat. Vide enim, quos locos Osannus in suum usum verterit: „Ennio delector ait quispiam, quod non discedit a communi more verborum." Non facile intelligitur, qui sit ille „communis mos verborum," sed de verbis inusitatis, temere fictis, mire compositis potius dici, quam de modo scripturae, perspicuum videtur. Tum animadverte hanc non esse sententiam Ciceronis, sed cuiuspiam laudatorum antiqui temporis, de quo Horatius queritur:

Nostra sed impugnat, nos nostraque lividus odit.

Itaque de Ennii dictione ex Ciceronis loco non magis quidquam confirmari potest, quam de Pacuvii versibus, de quibus ibidem legitur: „Pacuvio inquit alius (delector); omnes apud hunc ornati elaboratique sunt

versus;" cui iudicio accessisse Ciceronem non puto, nisi forte et Horatius Pacuvium „doctum senem" habuit, Epp. II. 1, 56; sed hic paulo post de genere dicendi omnium illorum antiquorum poetarum ita iudicat:

Si quaedam nimis antique, si pleraque dura
Dicere cedit eos, ignave multa fatetur,
Et sapit et mecum facit, et Jove iudicat aequo.

Altero loco Ciceronis Or. 48, 161. legitur: „Burrum semper Ennius numquam Pyrrhum. Vi patefecerunt Bruges non Phryges, ipsius declarant antiqui libri" [1]). Adscripsi verba, quibus intelligas, tantum abesse ut iis demonstrari possit, Ennium non duplicasse litteras, ut potius hic habeas Ciceronis testimonium de geminatis apud Ennium litteris in voce Burrum. Ad Ennium e Festi loco pellendum nil prorsus faciunt, quae citantur ex Isidori Orig. I. 26, p. 840, Mar. Victor. p. 2456, Quintil. I. 7, 14. Haec enim omnia id affirmant, quod nemo negabit, antiquos Romanorum scriptores non duplicasse litteras, sed sicilico supra posito indicasse eam quam geminari oportebat, et si Ennium Livium quoque excludunt. Missum facio cum hoc Festi loco alium, v. Torum, qui, nisi corruptela laborat, certe tam dubiae sententiae est, ut qui cum Osanno et qui contra sentiat, facile eum sibi vindicare possit. Porro argumentum desumitur ex aere, Ennii tempore inscripto, senatus consultum de Bacchanalibus continente, in quo constanter e s e, h a b u i s e, a d e s e, i n v a s i s e n t et alia scribuntur. At, si Ennius geminare litteras coeperat, num ideo omnes illico

[1]) Osann. pro Vi scripsit Ut; Codd. et Edd. vet. constanter Vi exhibent.

peregrinum hominem sequi dedebant, praesertim in publico monumento, in quo antiquus scribendi usus diutius servatur, et geminae litterae propterea non facile adhibentur, quod qui lapides et aera incidunt, ob materiae difficultatem parci sunt litterarum? Et denique, qui huius aeris causa Ennium e Festi loco extrudunt, nescio quo iure Livium defendere velint, qui sic multo minus auctor geminatarum litterarum dici possit. — Sed constat, neque ego negabo, Livium multa Graeca in sermonem Latinum intulisse, e.g. dacrymas pro lacrimas, dautia pro lautia V. Varro. de L. L. IV. 1, Festus v. Dacrymas. Idem autem de Ennio affirmare non dubito. Ut enim taceam, quod notum est, hunc multa ex Graecorum scriptis transtulisse, quae res ad ingenium eius cognoscendum potius, quam ad nostram quaestionem pertinet, nemo infitias ibit, in fragmentis huius poetae multa vocabula Graeca inveniri, quorum quaedam collegit Columna l. l. p. 6. Deinde memoriae proditum est, Ennium dicere solitum esse, „se tria corda habere, quippe qui Latinae, Graecae et Oscae linguae peritus sit," quod dictum ad scripta eius referatur necesse est. — Uterque igitur, Livius et Ennius, multa Graeca intulit in linguam Latinam, Livius autem libertinus non ausus esse videtur, Romanum sermonem ipsum mutare, quod Ennio postea licuit. Quum autem scriptores Romani, quod pueri didicerant, et quod usu tot annorum Romae sancitum videbant, religiose tenendum ducerent, et ita eorum, qui ad Graecorum linguam patrium sermonem inflectere conabantur, exemplum non imitarentur, permanavit antiquus scribendi modus usque ad Plautum et ad scriptores qui eum proxime secuti sunt. Quo

posito, omnia quae repugnare videbantur bene explicantur; recuperet itaque Ennius suum. locum apud Festum.

Livium Andronicum, quum Romam venisset, primum in servitute vixisse, deinde manumissum esse, docemur ab Hieronymo in Euseb. Chron. ad Ol. 148: „Titus Livius tragoediarum scriptor clarus habetur, qui ob ingenii meritum a Livio Salinatore cuius liberos erudiebat libertate donatus est." Osannus Hieronymo fidem denegavit, quod Marcus Livius Salinator, cuius liberos educasse dicatur Andronicus, ante annum 513 liberis gavisus esse non potuerit, quos Graecus, quem propter liberos educatos liberatum ante annum 513 (quo primam fabulam edidit) statuere debemus, erudiverit: constare enim ex scriptoribus Livium illum Salinatorem u. c. 566 cum Marco Valerio Messala consulatum egisse. In hoc autem erravit. Nam Messalae collega anno 566 Caius Livius Salinator fuit. Liv. XXXVIII. 35., cfr. Fast. Cons. Marcus vero Livius clarus in republica administranda ante secundum Punicum bellum habebatur, et consul erat, aut iam fuerat, quum a. 535. capto Sagunto per Hannibalem legatus Carthaginem mittebatur. Liv. XXI. 18. Et hic idem est Marcus Livius, cui postea Salinatoris nomen inditum, quod, censor creatus, novum salinarium vectigal instituerat. Id. XXXIX. 37. Hunc Salinatorem non alterum esse atque illum Livium, inde perspicitur, quod consul M. Livius post consulatum et legationem a populo damnatus, et octo annis praeterlapsis a consulibus in urbem reductus est, Id. XXVII. 34: censor M. Livius ira persequebatur eos, qui damnationis auctores fuerant, et in pretio salis constitu-

endo praecipue tribus oneratae videbantur, quarum opera illud malum perpessus erat. Id. XXIX. 57.

Circiter centum et viginti tres annos postquam ex Etruria histriones Romam venerant [1]) primo bello Punico vix composito, curis vacuum Romanorum animum Graeca arte scenica oblectare coepit hic Livius Andronicus, ediditque Romae primum drama. Quo autem anno hoc factum sit difficile est dictu; ipsi enim veteres in eo definiendo dissentiunt. Koepkius in Vers. Germ. Plaut. praef. p. 49. annum u. c. 512, Passow. in Lin. Hist. Litt. Graec. et Rom. cum Wieland. ad Hor. Epp. Tom. II. p. 94. annum 514. statuerunt. Osannus, veterum testimoniis diligenter comparatis, revocavit numerum 513, quem iam ante eum Lil. Greg. Gyraldus de Poet. Hist. Dial. Oper. Tom. II. p. 297. et J. Nic. Funccius de Adol. Ling. Lat. p. 60. coniectura magis, quam certis argumentis invenerant. Omnibus denuo retractatis discrepantia optime convenire mihi videbantur, si ad Osanni rationem accederem, quod et A. G. Langio in Vindiciis Trag. Rom. Lips. 1822. placuit. Relinquuntur quidem etiam sic quaedam in medio, sed quemcunque alium numerum praefers, maiorem etiam dissensum reperies: testimonia enim in hac re tam incerta sunt, ut, quae ad annum 513 relata concinere videbantur, alio calculo instituto plurium annorum discrimine distare inveniantur. Exemplo sint testimonia de Catonis aetate, quae ad illum numerum constituendum maximi momenti

---

[1]) De Livii „post aliquot annos" cfr. Drakenborch. ad II. 31.

sunt. Ad adolescentiam suam processisse Livium ait Cato apud Ciceronem l. c. Cato natus est anno antequam Fabius Maximus primum consulatum ageret, qui incidit in annum 520, sextum aut septimum, postquam Livius primam fabulam docuerat, quod eodem loco Cicero testatur. Adolescens Cato cum Fabio quintum consule in illud bellum proficiscebatur, quo Tarentum captum est, testibus Cic. de Senect. 4, 10. Plut. Cat. 2. Corn. Nep. Cat. 1. Plutarchus eum *κομιδῇ μειράκιον ὄντα*, Nepos, iuvenem decem et septem annorum expeditioni Fabii interfuisse referunt. Livius itaque secundum ea, quae antea nobis videbantur, quum Cato septimum decimum annum agebat, senex, fere quattuor et septuaginta annorum, obiit u. c. 536, vixitque tres et viginti annos postquam primum prodierat, satis commodum tempus, quo omnes illas fabulas conscriberet, quae ipsi tribuuntur. At constat ex omnibus historiae monumentis Tarentum a Fabio expugnatum esse u. c. 545. quumque Cato tum septendecim annos natus esset, et Livius sex aut septem annos ante eum in theatris spectari coepisset, prima fabula acta esse debet sive anno 521, sive anno sequente, quo Naevius primam docuisse fertur. Si itaque reliqui numeri recte se habent, Plutarchus et Nepos in aetate Catonis egregie erraverunt [1]).

In explicando modo, quo prima fabula Romae docta sit, veteres admodum parci fuerunt, eaque ipsa quae tradita invenimus tam obscura sunt, ut res pro desiderio nostro expediri nequeat. Pluribus quam ce-

---

[1]) Apud Nepotem excidisse dicerem X. ut non XVII. sed XXVII. legendum sit, nisi aliae rationes hoc vetarent.

teri de ea disserunt Livius (VII. 2.) et Valerius (IV. 4.), quorum loci maiore cura examinandi sunt. Livius haec refert: „Livius post aliquot annos, qui ab Saturis ausus est primus argumento fabulam serere (idem scilicet id quod omnes tum erant suorum carminum actor), dicitur quum saepius revocatus vocem obtudisset, venia petita puerum ad canendum ante tibicinem quum statuisset, canticum egisse aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis usus impediebat. Inde ad manum cantari histrionibus coeptum, diverbiaque tantum ipsorum voci relicta." Valerius fere eadem tradit: „Paulatim deinde ludicra ars ad Saturarum modos perrepsit, a quibus primus omnium poeta Livius, ad fabularum argumenta spectantium animos transtulit. Isque sui operis actor, quum saepius a populo revocatus vocem obtudisset, adhibito pueri et tibicinis concentu, gesticulationem tacitus peregit." Ex utroque loco manifestum est, Andronici in rebus scenicis Romanorum merita praecipue in eo ponenda esse, quod „argumento fabulam serere" coeperit, et hoc solum ceteri auctores qui poetae mentionem faciunt, laude dignum habuisse videntur. Cfr. Cic. Brut. 18. 72. Gell. XVII. 21. Serv. ad Virg, Aen. X. 636. Diomed. III. 486. Donat. de Com. et Trag. Lydus de Mag. Rom. I. 40. ubi *Τίνιος* ex emendatione Osanni et Reuvensii in *Λίβιος* mutandum est. „Fabulam argumento sererere" omnes Livii interpretes duce Ferrario in Elect. II. 5. exponunt, fabulam argumento componere, condere, et ne cui dubitatio maneat, quid sit argumentum, adhibent locum Quintiliani Inst. V. 10. 9. „Fabulae ad actum (actus?) scenarum compositae argumenta dicuntur." Sed Quintilianus nonnullis exem-

plis de significatione vocis argumentum prolatis, addit postremum: „Quo apparet omnem ad scribendum destinatam materiam ita appellari." Hoc autem neque Livium neque Valerium cogitasse puto; talia enim argumenta, quamquam non in actus divisa erant, iam usurpata esse debebant ab iis qui Fescenninos ludos et Saturas composuerant, quod ante Livium factum esse supra docui, et verbis „id quod omnes tum erant, suorum carminum actor," hic iterum probatur. Non video, quid tandem, si statueris, talia argumenta ante in usu non fuisse, Quintiliani definitio ad explicanda Livii verba faciat; quid enim est: „fabula ad actum scenarum composita fabulam serere coepit?" Valerius quoque utrumque vocabulum, argumentum et fabulam, expressit, et neque apud hunc neque apud Livium alterutrum temere adiectum censeo. Ni fallor argumentum hic pro cogitatione ethica et quasi idea philosophica accipiendum est, quae historiae dramatis inhaerens, singulos actus scenasque continet, et in qua docenda diverbia et cantica, omnesque actiones tandem conveniunt. A fabula, si artiore sensu pro dramate dicas, hoc argumentum distinguendum est, et distinctum videmus apud Cic. p. Cael. 27. Serere fabulam, cum plerisque interpretibus mihi quoque est componere et contexere; sensum enim illum, quo serere valet novi aliquid proferre, ut apud Hor. ad Pis. 46;

In verbis etiam tenuis cautusque serendis,

quod novare explicat Acron, hic alienum esse puto, quod τῷ primus iam indicatur, rem novam spectatoribus propositam esse.

Utrum initio solus egerit Andronicus, an ad primam iam fabulam socios adhibuerit non traditur qui-

dem, sed veri tamen simillimum est, plures histriones prodisse. Quae Livius de puero ante tibicinem stato narrat, huc trahi nequeunt; cavendum enim, ne putemus, Andronicum, nonnullis fabulis actis, hunc puerum secundam personam induxisse. Cum personis fabularum hic puer componi nequit, quod perspicuum est, cum in partium distributione unam personem efficere cum histrione saltante. Andronicus itaque, si ante solus egisset, etiam puero assumpto solus manebat, tumque eius drama mimicum potius canticum erat, ne Thespidis quidem aequiparans ludum, quam tragoedia vel comoedia. Plures vero histriones iam ab initio fabulas egisse concludere licet ex iis, quae apud Livium sequuntur; cantatore enim admisso, ait, diverbia tantum histrionum voci relicta esse, quum scilicet antea et cantica et diverbia ab ipsis pronuntianda essent. Quo posito iam intelligemus illud: „idem scilicet suorum carminum actor," eodem sensu accipiendum esse, quo et Graeci auctores suas fabulas egisse dicuntur, quod est: ipsi cum histrionibus prodibant primarum plerumque partium actores. Illos, qui Andronico in fabulis agendis aderant, Romanos iuvenes non fuisse, satis firmasse mihi videor: poterant alii liberti aut servi adhiberi, ut ille puer, quem ad canendum poeta excitabat.

De hoc et de verbis, „ad manum cantare histrionibus," multis disputaverunt viri docti, quorum sententias hic referre alienum est. Emendatione quam voluit Salmasius ad Vopisc. Carin. 19, p. 830. mihi opus esse non videtur, Liviique verba tantum non cum Gronovio faciens interpretor: Suffecit Andronicus servum, cuius cum tibicine concentu (Val. Max.) can-

tica pronuntiabantur, ipse autem ad cantici verba gesticulationem saltando adiiciebat (Val. Max.), et quidem tacitus, tum demum voce iterum usus, quum a cantico ad diverbium fabula delaberetur. Ad manum saepe significat in promptu, in praesentia et coram (cfr. locos a Turnebo in Adv. III. 23. collectos), itaque illa verba Germanice fortasse non sinistre explicantur: Man fing an den Schauspielern mit Singen an die Hand zu gehen. — Hic mos per omnia sequentia saecula permansit, quod iam Livius indicat, et multis testimoniis probatur. V. Herm. Cant. Rom. p. 302, sqq. Cantorem postea tragoedum proprio vocabulo, actorem autem histrionem nominatum esse, recte coniecit Gron. ex Sueton. Calig. 54; quod autem apud eundem in Ner. 24, ubi legitur: „Atque in quodam tragico actu, quum (Nero) elapsum baculum cito resumsisset, pavidus et metuens, ne ob delictum certamine summoveretur, non aliter coufirmatus est, quam adiurante hypocrita, non animadversum id inter exsultationes exclamationesque populi," — hypocritam histrionem esse dicit, qui canente Nerone canticum egisset, vereor ut omnibus persuadeat. Nisi hypocrita quidam reliquorum histrionum erat, qui in eadam fabula personam aliquam agendam susceperat, potius cantor, tragoedus, quam actor, histrio dici debet: Nero enim hic agebat histrio, quod saepe eum fecisse scimus. Hanc vero differentiam inter tragoedum et histrionem non semper observatam esse docet Hor. ad Pis. 155, ubi histrionem aperte cantorem appellat. Cfr. Suet. Ner. 21. Neque puto Andronicum ceterosque post eum actores, cantore semel admisso, nunquam postea cantica et cecinisse et simul egisse: Neronem saltem apud Suet.

l. l. in Hercule Insano cantantem et agentem videmus. Ceterum monendum videtur, ne Andronicum putemus cantica tantum egisse, ceteraque omnia aliis histrionibus reliquisse, quod de Roscio et Aesopo contendit Boettiger l. l. p. 16. Livii et Valerii verba hoc non probant, et carmina non sunt cantica sed fabulae, ut et Donatus de Com. et Trag. interpretatur: „idem et poeta et actor fabularum suarum.“ Praeterea Livius diserte addit, diverbia histrionum (inter quos et Andronicus erat) voci relicta esse; denique sententia Hermanni l. l. qua illam de Roscio et Aesopo opinionem refellit, etiam in Andronicum cadit. Quis enim spectatorum tulisset, si cantico in diverbium abeunte, Aiax aut Achilles a scena recessisset, alterque Aiax aut Achilles eius loco suffectus esset?

Docuit Andronicus primam fabulam ludis Juventatis teste Attio apud Cic. Brut. 18, 72., aut ludis Romanis, quod Cassiodorus Chron. Tom. I. p. 383, ed. Garet. annotat. [1]) Utrum comoediam an tragoediam priorem ediderit, incertum est, neque argumentis vel ex Romanorum ingenio vel ex scriptis veterum desumptis alterutrum probari potest. Osannus priorem fuisse comoediam contendit, Diomedis aliorumque grammaticorum afferens testimonia (p. 51. et 52.); sed haec illud tantum continent, quod scimus, Andronicum Romae primum fuisse comoediarum et tragoediarum auctorem. Diomedes quidem III. 486. tragoediam non memorat, sed Osanni sententia eius loco non magis quam reliquis demonstratur; tragoediae enim propterea

[1]) Attius etiam in hac re errasse videtur. Cfr. Lang. Vind. p. 22. not. 29.

mentionem non facit, quod de sola comoedia disserit, nominatisque Graecae comoediae auctoribus ad Romanos, quorum primum Andronicum comoediam scripsisse ait, delatus, tragoediae locum dare non poterat. Vide praetera quae Langius in Vind. Trag. Rom. p. 4, not. 5. in illam sententiam monet.

Poetam nostrum comoedias et tragoedias docuisse compertum habemus e disertis veterum testimoniis et e laudatis fabularum titulis. Maximam partem eius dramata tragoediae fuisse videntur, et quidem omnes argumenti Graeci; citantur enim a grammaticis Tereus, Antiopa, Andromeda, Hermione, Protesilaus, Aiax, Achilles, Helena, Aegistus, Adonis, Laodamia, Io et Ino. E comoediarum numero Gladiolus et Virgo Togatae esse poterant, sed ostendi nequit, et mihi etiam hae translatae videntur. Gladiolum a Festo v. Pedibus laudatam certe Graecam dicerem, si constaret, versum ex Eunucho Terentii satis notum,

Nam et lepus tute es, et pulpamentum quaeris,

quem Flav. Vopiscus c. 13. e Livii comoedia affert, huic Gladiolo adscribendum esse. De Virginis a Festo v. Nobilem citatae Graeco exemplari cfr. Fabric. Bibl. Ger. Tom. II. p. 422. Sed notandum, codd. Festi praeter „Livius in Virgine," etiam praebere, „in Virgo" et „in Virgil." Inter comoedias Livii refero Serenum cuius mentionem facit Prisc. VII. p. 739. Osannus dubitat, num recte se babeat hoc nomen et suspicatur librariorum vitio depravatum ex Sirene vel Sirenibus, quod in fragmento ex hac fabula apud Priscianum citato de Ulysse sermo sit.

Sed Laertium nominat ille versus, et grammaticus addit: „Laertius pro Laertus dicebant, quomodo et Graeci *Λαέρτιος* pro *Λαέρτης*.." — Centuri Livii (v. Fest. v. Petrarum.) et Lydius (apud eundem v. Scena) Graecum argumentum nomine profitentur. Polymetra apud Priscian VI. 712. codicum auctoritate non Livio sed Laevio tribuenda sunt, et si quid nomine et fragmento ex illo allato: „Omnes sunt denis syllabis versi," probatur, ne drama quidem erant. Erotopaegnia Livii, quae et Laevio adscribuntur, certe fabulis annumeranda non sunt, quum Priscian. IX. 869. tertium, p. 922. quartum et p, 903. sextum eorum librum laudet. Fabulam Equum Troianum Osannus Livio abiudicat (v. p. 5. sqq.), Noniique locum, ex quo Livium hanc fabulam scripsisse cognovimus emendari iubet, ut pro Livio Naevius ponatur, quam coniecturam et Langius, l. l. p. 6. not. 10. probare videtur. Rem ipsam satis dignam habui quam retractarem, praesertim quum rationes quibus emendatio firmetur ad historiam rei scenicae apud Romanos et ad naturam primarum fabularum spectent.

Livium Equum Troianum non scripsisse contendit Osannus, quod eadem fabula etiam acta sit aetate Ciceronis, teste oratore ipso in Epp. Fam. VII. 1: „Quid enim delectationis habent sexcenti muli in Clytemnestra? Aut in Equo Troiano craterarum tria millia?" Fabulam vero Livii, pergit, Ciceronis aetate doctam non esse, quod et sermo et ingenium illius poetae, abhorrens a cultura recentiorum saeculorum, merito omnibus displicere debuerit. — Sed Horatii aetate, quam in rebus poeticis cultiorem fuisse tempore Ciceroniano constat, multi magnopere oblec-

tabantur Livii fabulis, ita ut queratur Horatius, carmina Livii

emendata videri

Pulcraque et exactis minimum distantia.

Concedamus autem, eos, qui viventibus Tullio et Flacco recte iudicare potuerint, cum ipsis damnasse Livianas fabulas, et „non satis dignas quae iterum legerentur" (Cic. Brut. 18, 71.) et agerentur habuisse, quod etiam probatur testimonio, ab Osanno omisso Livii historici, qui lib. XXVII. c. 37. de carmine ab Andronico in Junonem composito dicit: „Carmen illa tempestate forsitan laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens et inconditum si referatur." His tamen omnibus primum non ostenditur illas fabulas recentiore aetate revera doctas non esse, et deinde eodem iudicio de Naevio quoque sententia dicta est, qui nec compositionis arte nec sermonis elegantia aequalem suum Livium valde superavit (Horat. l. l.). Cicero in Brut. 74, 358. C. Laelii et P. Scipionis aequales, Caecilium et Pacuvium, qui post Ennium et Plautum ad fabulas scribendas accedebant, incultos habet et „male locutos" dicit; quid igitur de Naevio? Qui propter incompositam rudemque linguam Livii fabulas a theatris coercebant, non aequius de Naevii scriptis iudicare poterant, et quibus Livii vetustus sermo durus, iis Naevii lingua certe dulcis non erat. Obstare quidem videtur huic iudicio locus Macrobii Sat. VI. 2. fin., quo Naevium imitatus esse fertur Virgilius, ita ut non singulos versus, sed totam descriptionem tempestatis (Aen. I. 81, sqq.) et Veneris preces Jovisque promissa (ibid. 223, sqq.) ex illius primo libro de bello Punico receperit: sed Virgilium non integros versus

transcripsisse et Naevio nil debere nisi inventionem, facile impetrabo ab iis qui Naevii fragmenta et Virgilii veteres imitandi rationem, cuius plura exempla proponit Macrobius l. l., noverunt. Fac tandem integros antiqui poetae versus a Marone expressos esse nonne etiam Terentium Livii versum referentem vidimus? Praeterea comparanti mihi Livii et Naevii quae feruntur fragmenta, minime fere, quod ad singula verba eorumque flexionem et iuncturam, et ad universum loquendi modum pertinet, differre inter se visa sunt. Sed et ego fabulas Livii Ciceronis aetate non amplius spectatas esse puto, cuius rei argumentum certissimum in Ciceronis verbis, quibus de Equo Troiano loquitur, latere mihi videtur. Quid enim, Livium credamus suo tempore, quod simplicitate vitae spectabile fertur, ter millia craterarum spectanda proposuisse? Simplicitatem fabularum Livii et Naevii Cicero de Legg. II. 15, 39. laudibus effert: „Illa quidem inquit, quae solebant quondam compleri severitate iucunda Livianis et Naevianis modis; nunc ut eadem exsultant! cervices oculosque pariter cum modorum flexionibus torquent.“ Rabies illa, qua pompas eiusmodi postulabant, Romanos Sullae temporibus invasit, et tunc primum, divitiis paratis, oculis tot craterarum obiici poterant, et ab ea demum aetate rem dramaticam Romanorum invertere coepit illa pestis de qua Horatius Epp. II. 1, 187:

Verum equiti quoque iam migravit ab aure voluptas
Omnis ad incertos et oculos gaudia vana.
Quattuor aut plures aulaea premuntur in horas,
Dum fugiunt equitum turmae peditumque catervae;
Mox trahitur manibus regum fortuna retortis,

Esseda festinant, pilenta petorrita naves;
Captivum portatur ebur, captiva Corinthus.

Talibus illecebris instructa erat fabula Equus Troianus, quam Cicero vidit, toto coelo distans ab illa Livii et Naevii severitate. Itaque neque ab illo neque ab hoc composita erat, et male nobis consulit, qui pro Livio in Nonii locum Naevium intrudit, quod Macrobius Sat. VI. 1. Naevium auctorem Equi Troiani referat; omnia enim quae Livio auctori obstant, etiam in Naevium cadere vidimus.

Quibus quum demonstratum sit, Ciceronis locum et reliqua ab Osanno prolata argumenta, ad absolvendam quaestionem de Livii Equo Troiano nullum prorsus momentum habere, iam quaeritur, quid de Naevii eadem fabula a Macrobio citata censendum sit? Poetae Latini inde a Naevio fabulas, quas ante ipsos alii Romae docuerant retractare et denuo in scenam introducere solebant, quem morem etiam in Graecia usitatum fuisse compertum habemus. De Plauto hoc nos docuit Boeckhius in libro de Graec. Trag. Princ. c. 3. fin. multasque ab eo veterum poetarum fabulas receptas esse probavit testimonio Gellii N. A. III. 3. Ita et Livii poemata saepe retractabantur a Naevio, Ennio, Accio, Pacuvio et aliis, quod nonnullis exemplis demonstrabo, ut appareat, nullum impedimentum esse, quin et Equum Troianum Livii a Naevio editam dicamus [1]). Docuerunt:

---

[1]) In laudandis poetarum fabulis praecipue Nonium adhibui, ut plures eiusdem tituli fabulas diversorum auctorum ab eodem grammatico citari conspiciatur. Usus sum editione Merceri.

Achillem:	Livius.	Vide	Nonium p. 365. v. Pretium.
	Ennius.	—	Non. quattuor locis, v. c. p. 169. v. Subicis, Fest. v. Prolato aere.
	Accius.	—	Non. p. 98. v. Delica.
	Augustus.	—	Suidas s. nom. p. 376. ed. Kust.
Aegisthum:	Livius.	—	Non. p. 24. v. Procacitas, cet.
	Naevius.	—	Non. p. 205. (ubi eundem versum affert, quem v. Prius Livio tribuit).
	Accius.	—	Non. quinque locis, v. c. p. 110. v. Fligi.
Aiacem:	Livius.	—	Non. p. 127. v. Jam diu.
	Ennius.	—	Non. p. 393. v. Statim, Fest. v. Tullii.
	M. Varro.	—	Non. p. 513. v. Exquisitim.
	Augustus.	—	Sueton. Aug. 85, Macrob. V, 4, Suidas ll.
Andromedam:	Livius.	—	Non. p. 62. v. Conflugis.
	Ennius.	—	Non. p. 20. v. Corporare.
	Accius.	—	Non. p. 20. v. Circus.
Antiopam:	Livius.	—	Non. p. 170. v. Septuose.
	Pacuvius.	—	Non. p. 221. v. Propago, cet. Fest. v. Torrens.
Hermionam:	Livius.	—	Non. p. 111. v. Fuam.
	Pacuvius.	—	Non. p. 316. v. Gemini, Diom. II. 415.
Ionem:	Livius.	—	Priscian. VI. 725.
	Accius.	—	Priscian. X. 906.
Tereum:	Livius.	—	Non. p. 475. v. Praestolat, cet.
	Accius.	—	Non. p. 279. v. Deponere, cet.
Virginem:	Livius.	—	Fest. v. Nobilem.
	Naevius.	—	Priscian. X. 879.
	Afranius.	—	Non. p. 124. v. Insolum, Macrob. IV. 6.

Praeter has Livii fabulas saepe itertas invenimus Naevii, Ennii aliorumque: Telephus Naevii, Ennii, Accii laudatur a Nonio, Festo, Prisciano: Ennius scrip-

sit Medeam, et retractaverunt eandem Pacuvius (Macrob. Non. Priscian.), Accius (Non. multis locis), M. Varro (Non.), Ovidius. — Quid igitur, num ex hoc fabularum serie solam Equum Troianum excipiamus, quae a Naevio retractata non sit? Neque Nonium neque Macrobium castigandum censeo, et omnem reliquam difficultatem sic tolli existimo: Livius composuit Equum Troianum, deinde Naevius eandem docuit, et postea, Ciceronis aetate, tertius quidam, cui haec fabula a Romanis, qui Troiano sanguine se ortos crederent, certe summo studio spectata haud incommoda visa est, quae multis pompis ornaretur, eam ad saeculi sui ingenium commutatam revocavit; et de hac novissima, non de alterutra priorum loquitur Cicero. Itaque concidit aliud quoque argumentum, quod prae ceteris Osanno impedimento fuisse videtur, quominus veritatem cerneret, desumptum scilicet ex Ciceronis verbis, ad Fam. Epp. VII. 16: „In Equo Troiano scis esse in extremo: Sero sapiunt;" quibus demonstrare vult, de duobus eiusdem fabulae auctoribus quaeri non posse, quum Cicero aperte unam omnibus notam significaret. Recte! sed eam laudat quam sua aetate omnes spectaverant, et quae omnium mentibus inhaerebat recens.

Augusti aetate Livii fabulae a magistris ad pueros erudiendos adhibitae esse videntur, Horatius enim sibi puero carmina Livii a plagoso Orbilio dictata esse refert in Epp. II. 1, 71 [1]). Ceterum neque in magno

[1]) Illum locum Bentleii coniectura, qua Laevi scribi iubet pro Livi, frustra turbatum esse, iam alii monuerunt. — Naevii quoque scripta in ludis puerorum fuisse coniicio ex v. 53. eiusdem ep.

honore erant neque frequenter legebantur nisi a grammaticis et si qui praeter eos antiquitati et veteri linguae studebant. Ciceronis sententiam de Livianis carminibus supra attuli: excepta simplicitate, nullis laudibus ea digna habet. Horatius, qui suae aetatis poetas contra antiquitatis laudatores defendit, et acriore, quam fas erat, dente antiquos persequitur, Livium (ut et Naevium, Ennium, Pacuvium, Afranium, Plautum, Terentium), contemnit, et non praemium atque honorem sed veniam tantum ei concedit (v. l. l. v. 50, sqq.). Quam fidem huic iudicio habere possimus, egregie docuit Manso (v. Collecta eius Script. Germ. III.). Paulo post Horatius iterum Livii mentionem facit, et quaedam verba decora nonnullosque versus concinniores ei tribuit, tota vero poemata neque pulcra neque emendata esse dicit. Romanos Naevii, Ennii, ceterorumque antiquorum poetarum carmina Livianis praetulisse, conicitur ex testimoniis supra allatis, quibus accedit, ut plures, qui de poesis Romanae auctoribus primis sermonem faciunt, eorumque scripta sive reprehendunt sive laudant, Livium omnino omittant. Cfr. Osannum c. 1. init., ubi vellem in Volcatii Sedigiti versibus e Gellii N. A. XV. 24, allatis rationem habuisset Acidalii emendationis (vid. Divin. et Interp. in Plaut. Comoed. p. 6).

VITA SCRIPTORIS.

Natus Monasterii ex parentibus Herm. Stieve et Anna, gentis Kruegerianae, an. 1804., postquam Gymnasium patriae urbis testimonio primae classis instructus reliquerat, auctumnali tempore an. 1822. civibus philosophici ordinis Monasteriensis adscriptus est, Decano spectabili Rolingio; ibique audivit praelectiones, — J. Christ. Schlueteri, V. Cl., de stili ling. Germ. theoria, de Taciti annalibus, Horatii carminibus, — Grothuesii, V. Cl., de psychologia empirica, — Rathii, V. Cl., de logica et de calculo differentiali et integrali, — Rolingii, V. Cl., de physica experimentali et de astronomia. — Deinde quum consilium philologiae studiis operam navandi et discipulis in Gymnasio erudiendis vitam dicandi confirmatum esset, patrem vero dilectum longinquo morbo laborantem pietas deserere non sineret, constituit munus publicum in Gymnasio Monasteriensi appetere, quo fungens et patri adesse et disciplinae officia cognoscere posset. Igitur biennium docuit primum quintae deinde quartae classis discipulos, adiunctus utriusque classis magistris ordinariis, simulque iisdem annis Kistemakerum, V. Cl., sacros libros, — Katerkampium, V. Cl., historiam ecclesiasticam, — Esserum, V. Cl., ipsique amicissimum, encyclopediam scientiarum philosophicarum et grammaticam Latinam Graecamque, exponentes audivit; quumque eo tempore seminarium philologicum Monasterii constitueretur, socius ordinarius exercitationibus propositis a Nadermanno, V. Cl.,

et Essero, V. Cl., interfuit. Patre mortuo, ad finem an. 1825 Berolini in numerum civium academicorum eum accepit Rector Magnificus Rudolphi in Illustris philosophorum ordinis Album inscripsit Decanus Spectabilis v. d. Hagen. Inde usque ad finem an. 1827. frequentavit scholas Boeckhii V., Cl., de antiquitatibus Graecis, de historia litterarum Graecarum, de arte metrica, de encyclopaedia disciplinarum philologicarum, eiusdemque explicationibus scriptorum Demosthenis, Pindari, Platonis interfuit. Praeterea sodalibus ordinariis seminarii philologici eum adscripsit vir optimus, quem propter summam doctrinam ingeniumque admirari et propter humanitatem egregiamque benignitatem venerari et vero amare nunquam cessabit. In eodem seminario quod etiam Buttmanno, V. Cl., praeceptore usus est gratulatur sibi. Hegelium, V. Cl., ducem habuit in historia philosophiae, in physica rationali, in philosophia historiae; quibus lectionibus quantum debeat suspicabitur is, cui summi viri ingenium cognoscendi facultas fuit. Audivisse de Raumerum, V. Cl., historiam seditionum tumultuumque civilium, belli tricennalis, medii aevi, reformationis, historiamque universalem illustrantem et de notionibus reipublicae ecclesiae, iuris disserentem gratisssmo animo semper praedicabit. Bekkerum, V. Cl., Aeschinis c. Ctesiphontem et Thucydidis orationes exponentem audivit eximia cum voluptate fructuque. Inter Ideleri, V. Cl., Arati phaenomena et chronologiam explicantis auditores fuisse laeta et grata erit recordatio. Disciplinis physicae et chemiae operam dedit ducibus Ermano, V. Cl., et Turtio, V. Cl., Frequentavit scholas Lachmanni, V. Cl., de Propertii carminibus, v. d. Hageni, V. Cl., de mytholo-

gia veterum Germanorum et de institutionibus linguae Germ., Bernhardii, V. Cl., de Aristotelis arte poetica et de grammatica linguae Graecae doctrina, H. Ritteri, V. Cl., de doctrina metaphysica de deo et mundo, Langii, V. Cl., de Homeri Iliade. Hieme an. 1827—28, postquam in Academia Rhenana Borussica Rectore Magnifico Nitschio inter cives academicos acceptus et Decano Spectabili Freytagio in Illustris philosophorum ordinis Album inscriptus erat, lectionibus interfuit Niebuhrii, V. Ill., de terris atque gentibus veteribus, Heinrichii, V. Cl., de epistolis Horatii et de religione Graecorum, Naekii, V. Cl., de Plauti Trinummo, Welckeri, V. Cl., de Sophoclis Aiace, Huellmanni, V. Cl., de fontibus historiae. Primo vere anni labentis Berolinum rediit, nomineque rite dato apud Rectorem Magnificum Bethmanum, et Decanum Spectabilem Weissium iterum frequentavit doctorum huius Universitatis litterariae virorum scholas.

THESES CONTROVERSAE

QUAS

UNA CUM DISSFRTATIONE SUA

DE

REI SCENICAE APUD ROMANOS

ORIGINE

EXTREMO DECEMBRI AN. 1828.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

OPPONENTIBUS

JUL. AMBROSCH PHIL. CAND.
CHR. NOEGGERATH PHIL. CAND.
FR. RITTER PHIL. DR.

I.

Patricii Romani erant ante Romam conditam.

II.

Ernestii Clav. Cic. sententia, divisores et diribitores fuisse eosdem falsa est.

III.

Salii sacerdotes a Numa instituti non sunt.

IV.

Locum Euripidis in Medea v. 1021. nemo interpretum intellexit.

V.

Religiones Romanae a Graecis omnino differebant.

VI.

Poeticum ingenium Romanis a natura negatum erat.

VII.

Loco Demosthenis Or. in Pantaenet. p. 983. ed. Reisk. scribendum est: *ἀκουσίου φόνου.*

VIII.

Ennium versu heroico primum apud Romanos usum esse demonstrari nequit.

IX.

Vituperandi sunt Romani propterea quod Atellanas fabulas docere instituerunt.

X.

Summa laude digni sunt Romani quod Atellanas fabulas in honore habebant.

XI.

Religione sublata philosophia est nulla.

XII.

Philosophia sublata intellecta religio tollitur.

Corrigenda.

P. 8.	v. 13.	lege:	eiusmodi
- 20.	- 30.	—	receptae
- 27.	- 28.	—	Ovid. Fast.
- 32.	- 30.	—	ingenia
- 38.	- 13.	—	detecta
- 40.	- 18.	—	tam multis
- 44.	- 8.	—	laudatis
- 53.	- 24.	—	pertinet,
- 61.	- 9.	dele:	illos
- 72.	- 4.	lege:	adnotum est cet."
- 73.	- 21.	—	Missa itaque illa facio cum Festi loco v. Torum
- 76.	- 4.	—	venerant,
- 79.	- 23.	—	Coel.
- 83.	- 24.	—	Bibl. Graec.
	- 26.	—	Vergil
- 84.	- 3.	—	Centauri
	- 8.	—	illis
- 86.	- 29.	—	incertos oculos et
- 88.	- 35.	—	iteratas
- 89.	- 3.	—	hac

Multa alia vitia typographica B. L. facile ipse corriget.